CRINAGORAE MYTILENAEI

EPIGRAMMATA

EDIDIT

PROLEGOMENIS COMMENTARIO VERBORUM INDICE

ILLUSTRAVIT

MAXIMILIANUS RUBENSOHN.

BEROLINI
APUD MAYERUM ET MUELLERUM
MDCCCLXXXVIII.

Typis expressit Carolus Salewski.

Hermanno Dielsio

S.

PARS I.

Prolegomena.

Plus sex menses interfuerunt inter prolegomena et editionem typis descripta. Qua re nec non schedis a Stadtmuellero denuo curiosissime excussis factum est, ut de nonnullis, quae in priore parte tractaveram, postea aliter sentirem. Haec igitur benevole qui legent ne tam inconsiderantiae cuidam iuvenili quam acriori Anthologiae studio velim attribuant.

I.

De vita Crinagorae.

De Crinagorae Mytilenaei vita quaestio quomodo instituenda sit, opera levi constituet, qui epigrammata Crinagorae quamvis raptim percurrerit atque comparaverit cum exilibus quae de eo leguntur scriptorum testimoniis. Statim enim omnia fere, quae de poeta illo novimus et quae ut certa atque indubitata *Reiskius*,[1]) *Jacobsius*,[2]) *Geistius*[3]) aliique tradiderunt, et ex poematis ipsis elicita esse et eis reapse contineri percipiet ideoque, qui de eo scribere velit, hunc a carminibus proficisci, referre omnia ad carmina necesse esse. Itaque nos quoque vitam poetae hoc in capite enarraturi eam disserendi rationem amplectemur, ut singula epigrammata, quae ad Crinagorae vitae conditionem, necessitudines, aetatem investigandas momentum habent, conquiramus atque quae eis patefiunt, cuncta congeramus.

Cui negotio id certe summo emolumento est, quod Crinagoras quamquam alioquin, a metro si discesseris, magnis nec virtutibus nec vitiis ex ceterorum Anthologiae poetarum eiusdem aetatis magno numero eminet, eo tamen nomine eis aliquanto praestat, quod cum ceteri semper fere eadem vel similia argumenta versibus exornent ac veteres huius poesis generis cultores, in permultis Crinagorae epigrammatis eius imitationis vestigia non inveniuntur, contra certas occasiones, quibus accommodata sunt, dispici etiamnunc licet. Neque tamen hoc, quod

[1]) Anth. Graecae a Constantino Cephala conditae libri tres (Lips. 1754): „Notitia poetarum", p. 221 sqq.

[2]) Animadversiones in epigrr. Anth. Gr. vol. III. p. III: „Catalogus poetarum", p. 876 sqq.

[3]) „Krinagoras von Mytilene." Giessae. 1849. Progr.

peculiare non paucis sane carminibus tribuere possumus, ita ampliandum est, ut ad pleraque, ne dicam omnia revocetur atque unumquodque epigramma limpidum quasi fontem esse ponamus, unde probissima uberrimaque de Crinagorae vita atque fortuna indicia haurire cuilibet liceat. Ita autem rem instituit Geistius in disquisitione, quam supra laudavimus, atque id opusculo summa ceteroquin diligentia et subtilitate conscripto mirum quantum nocuisse arbitramur, quia multa narret de poetae statu, itineribus aliisque, quae fulciantur non certis poetae verbis ad certas personas aut res referendis, sed eis tantum versibus, quos quivis alius poeta item condere potuerit, cum nullo pacto Crinagoram de se loqui comprobari queat.[1]) Unde multas ille easque ex parte audaciores coniecturas periclitatus est, quae si stare possent, quam animo effinximus poetae imaginem haud leviter immutarent. Nos contra ad certas occasiones ea carmina referemus sola, ex quibus eae aperte eluceant summa cum cautione et circumspectione grassantibus. Nullo alio modo eam, quae in his litteris iure requiritur, probabilitatem nos efficere posse iudicamus. At quo tutius pedem figamus et ad firmius quasi adminiculum annitamur, priusquam ad rem ipsam, quam tractandam nobis proposuimus, nos convertamus, paucis testimonia illa disceptemus, quae exstant de Crinagora.

Primo loco commemorare par est unum ex antiquioribus florilegiorum conditoribus, *Philippum Thessalonicensem*, qui et ipse huic poesis generi operam dabat et duobus fere saeculis post Meleagrum Gadarenum, cuius Στέφανος ca. a. centesimum a. Chr. n. in lucem protractus est, in unum corpus eorum poetarum epigrammata conflavit, qui post Meleagrum floruerant. Sicut hic, ita Philippus consilium collectionis suae patefecit prooemio, quo totum opus inchoatur et — id quod cum Coronae ratione consentaneum videbatur — singuli poetae singulorum florum nominibus nuncupantur. In hac igitur praefatione (A. P. IV 2,8) Crinagoras quoque locum obtinet comparatus

---

[1]) Hoc etiam ei qui librum recensuerunt, existimant: *Stollius* (Z. f. d. A. W. 1850. 35) et *Baehrius* (Heidd. Jahrbb. 1849.).

ille cum ramo (ὡς δὲ κόρυμβος Κριναγόρας sc. πρέψει στεφάνῳ), qua quidem ex imagine nihil fructus lucramur. Utrum aetatis poetarum, an auctoritatis et gravitatis in prooemio hoc disponendo ratio habita sit, nondum exploratum est, quamquam res quaestione haud indigna videtur. Fortasse ex mero casu nominum ordo dependet. Id vero notabile est, primus qui commemoratur a Philippo, poetam Antipatrum Thessalonicensem, qui compluria carmina L. Calpurnio Pisoni, Thracum victori, dicabat, non in posteriores huius sylloges epigrammatistas referri. Quem cum continuo Crinagoras sequatur, hunc quoque priori propius quam posteriori termino admovere nos posse arbitror. Indubitatum vero ex testimonio Philippi id ponitur Crinagoram intra centesimum a. a. Chr. et centesimum a. p. Chr. fuisse.

Hoc temporis longum spatium artioribus finibus circumscribitur loco quodam *Strabonis*, quo de illustribus Mytilenes viris disseritur. Qui posteaquam de Pittaco, qui vetustioribus temporibus in insula floruit, narravit, quae narranda putat, sic pergit (l. XIII p. 617): ὕστερον δ' ἐγένετο χρόνοις πολλοῖς Διοφάνης ὁ ῥήτωρ, καθ' ἡμᾶς δὲ Ποτάμων καὶ Λεσβοκλῆς καὶ Κριναγόρας καὶ ὁ συγγραφεὺς Θεοφάνης. Hic Crinagoras Reiskium l. l. etiam haesitasse, num idem esset atque epigrammatarius, noli mirari; nam id testimonium, quo omnis haesitatio extruditur, nondum noverat. Quo magis mireris hoc ab Geistio et Jacobsio ne allatum quidem esse, cum eo solo Strabonem innuere poetam certo comprobetur. Legitur autem in *lemmate*, quod scriba A[1]) ad *ep. 4* appinxit: Κριναγόρου Μυτιληναίου; ceteris enim in lemmatis omnibus patriae poetae mentio non inicitur. Sed redeamus ad Strabonis verba. Unde utique, quod statuit cum Jacobsio Geistius, Crinagoram, Strabonis aequalem, Augusti aetate scripsisse minime concedo effici posse. Etsi Lesbocles atque Potamon rhetor Augusto et Tiberio regnantibus vitae florem consecuti sunt, de Theophane rerum sriptore idem obtineri nequit. Ut Strabo ipse extremo capite prolixius tradit atque aliis, quae afferre hic nihil attinet,

[1]) Vide apparatum criticum.

testimoniis constat, ex intimis et perpetuis comitibus Pompei erat. Eius honoris causa patria Crinagorae urbs, quae bello Mithridatico, cum ambiguam Romanis fidem praestitisset, a M. Thermo praetore expugnata erat, in pristinam libertatem redacta est. Theophanis filium[1]) ut aequalem tum etiam vigentem idem Strabo l. l. commemorat: υἱόν τε ἀπέλιπε Μάρκον Πομπήϊον, ὃν τῆς Ἀσίας ἐπίτροπον κατέστησέ ποτε Καῖσαρ ὁ Σεβαστός, καὶ νῦν ἐν τοῖς πρώτοις ἐξετάζεται τῶν Τιβερίου φίλων[2]). Quae si ita se habent, id pro certo affirmari potest Strabonem haudquaquam nos *cogere* Crinagorae aetatem usque ad Augusti aut Tiberii tempora producere idque unum inde confici non ita multo ultra Strabonem poetae vitam protrahere licere, retro autem nos nullo limite cohiberi. Quemadmodum Theophanem, item Crinagoram καθ' ἡμᾶς γενέσθαι Strabo dicere potuit, etiamsi Pompei aequalis fuisset.[3])

Non inconsiderate nos nulla ex parte viae nostrae impedimenta obiecisse, ita ut, sicut libet, exspatiari possimus intra terminos, quos supra pepigimus, luculente docemur tertio vel potius quarto testimonio, quod iam in consortium eorum, quibus defuncti sumus, addemus. Exstat in *Etymologico Max.* s. v. ἄρπυς, cui adscripta leguntur haec verba memorabilia: Ἄρπυς ὁ ἔρως, ὡς παρὰ Παρθενίῳ ἐν Κριναγόρᾳ· Ἀμφοτέροις ἐπιβὰς ἄρπυς ἐλῄσατο.[4]) Cum vel Jacobsius se, quid sit Parthenii Crinagoras, cum ignorantissimis ignorare confiteatur, *Meinekius* (Analecta Alex. p. 16 et p. 266) cum recte illud explicavit, tum nostram de Crinagora cognitionem haud tenuiter adauxisse videtur. Vix

---

[1]) aut nepotem, si *υἱωνόν* legimus cum Visconti.

[2]) Arduam de Theophanis progenie quaestionem hic attingere nolumus, sufficiat monuisse mihi quidem perquam verisimile videri epp. A. P. VII. 219 et IX. 28 (647?), quorum de auctore in capite quarto pauca addemus, filio vel nepoti Theophanis deberi neque — maxime ob Antoniae mentionem, vide p. 20 — tam, quam editoribus, improbabile etiam ep. Kaibelii nr. 810 ad eundem spectare. Sed hoc carmen nondum omni ex parte expeditum est a vv. dd., qui ei operam dederunt.

[3]) Hoc *Niesii* disputatione (Herm. vol. XIII. p. 33—45) confirmatur, qui ostendit Strabonem *καθ' ἡμᾶς* verba eis attribuisse omnibus, qui mortui essent post a. 690/1 a. u. c.

[4]) cf. Hesych.: *ἄρπυν, ἔρωτα. Αἰολεῖς.*

enim in dubium revocari potest, quin lexicographi verba de carmine quodam Parthenii Crinagorae dicato accipienda sint. Huiusmodi poemata, quae aliorum poetarum nomina prae se ferunt, non raro Alexandrinorum temporibus ac postea condebantur, cuius consuetudinis Meinekius nonnulla exempla contulit. Unde sequitur, ut Crinagoras Parthenii aequalis fuerit, hoc propterea magni momenti est, quod Parthenii vitae spatium duce Meinekio certo determinare possumus. Huius locus classicus, quem dicunt, habendus est Suidae de Parthenio nota limpido, ut videtur, ex fonte hausta. Quem auctorem ut sequamur, Parthenius Nicaeae aut Myrleae natus bello Mithridatico ab imperatore quodam Romano captus Romam deductus est, quod a. 681 a. u. factum sit necesse est. Quod deinceps Suidas prodidit aetatem Parthenii usque ad Tiberii imperium processisse, hoc eum non recte rettulisse vel inde apparet, quod Parthenius, si vicesimum annum agentem eum facimus, cum Romam venit, a. 767, quo Tiberius ad rei publicae gubernacula accessit, plus 107 annos natus erat, id quod verisimile non est. Neque tamen plane ex vano haustum est, quod Suidas narrat; nam manasse videtur ex Suetonii vita Tib. c. 70, quo Tiberium Parthenii carminibus maxime delectatum esse traditur. Itaque non imperatori Tiberio, sed *adulescenti* cum Parthenio sene consuetudo erat familiaris. Iam quaerendum est, quid ex testimonio Etymologici Max. elicere possimus ad Crinagorae aetatem determinandam. Tiberio imperatore si Parthenius ultra centesimum annum progressus esset, etiam Crinagoras, eius amicus, iam senectutem attigisset, nisi forte quadraginta annis minor natu fuit. Neque igitur temere statuemus Crinagoram floruisse saltem Augusto regnante. Num aliquantulum insequentis imperii vita eius perduraverit, non liquet; sed si certis indiciis Tiberii quoque aetati assignetur, per testimonia externa hoc fieri posse iudico.

Neque hoc modo eis, quae de testimoniis disseruimus, patefactum est, sed etiam illud pro certo affirmare licet duas esse Crinagorae vitae partes, alteram, qua Mytilenis, alteram, qua Romae versabatur. Quod discrimen etiam in carmina cadere,

ut haec digerenda sint in *Lesbia* et *Romana*, non illico patet. Quamquam nihil obstat, quominus quae ad Graecos homines referenda sunt epigrammata: 1 (Πρώτη), 3 (Ἀντιφάνης), 4 (Πρόκλος?), 9 (Σώσανδρος), 10 (Σίμωνος υἱός?), 13 (Δημοσθένης), 15 (Σέλευκος), 17 (Εὐνικίδης), 18 (Ἔρως), 19 (Σελήνη), 22 (Ὑμνίς), cuncta Lesbia vocemus.[1] Sed haec res non paucas habet cautiones. Namque in monumentis sepulcralibus *libertinorum* Romanorum saepissime eiusmodi nomina graeca leguntur, quorum pauca afferre non pigebit: Corneliae *Selene*, uxori optimae (CJLX 6031); *Prote* coniugi (ib. 254). Cantinia *Hymnis* (ib. 28); M. Valeri M. l. *Simonis* (C J L 4931). Permulta etiam exempla exhibet vol. VI pars III nuper emissa, ubi saepiuscule haec et similia nomina Graeca (*Erotis* quoque et *Procli*, *Proclae*) leguntur. Quod intuentes complures coniecturas a Geistio expromptas ad irritum cadere facile comprobare poterimus. Proten enim filiam nobilis cuiusdam Romani esse ponit primam genitam; neque vero nobili genti Romanae eam adscribendam neque primam genitam esse oportere inscriptionibus comprobatur. Cui haud dissimilem sententiam idem v. d. de Proclo animo informavit, cum recte quidem illam vocem υ littera elisa graeci nominis formam induisse, sed nihil esse nisi latinum Pròculum perspiceret, utique tamen hunc Proculum summo loco ortum et eo patre natum esse sumeret, qui Augustam familiam propriore amicitiae gradu contigisset. Hoc ut futile est, ita quod extrema argumentatione conicit fortasse intelligendum esse Proculi, Augusti liberti, filium, non est quod graviter refragemur. Magis me suspensum tenet carmen illud, quo poeta ampullam aeneam Simonis filio natalem agenti, amico dulcissimo, muneri mittit. Geistius a Suida profectus iure admiratur lexicographum, cum s. v. ὄλπη totum epigramma suppeditaret, verba υἱὲ Σίμωνος omittere; inde colligit, siquidem saepe, quae in codice corrupta propagarentur, praeteriret,[2]) Suidam hoc quoque versu verba illa corrupta ratum non exscripsisse. Hoc fortasse

[1]) Vide de unico Aeolidis dialecti vestigio p. 26.

[2]) Vide apparatum crit. ad ep. 6.

eo confirmatur, quod non raro, ut postea demonstrabimus, scriba in versus exitu cum litteras archetypi non dignosceret, lacunam correctione qualicunque celavit et quod praeterea scriba A accentum omisit, omissum C demum supplevit[1]). Quam ob rem Geistii coniectura „Αἴβωνος" probabilitate non omnino destituta est. Attamen cum rasurae nullum dispexerit vestigium Stadtmuellerus, qui v. d. compluries hunc versum excussit, atque cum multa, quae non ad rem explicandam faciunt, Suidas praetermittat cumque praeterea etiam alios ac Romanos donis et carminibus prosequi possit poeta, in textu reliquimus Σίμωνος nomen, sive graecum sive libertinum est.[2]) Redeamus interea eo, unde digressi sumus, ad poetae aetatem indagandam.

Quo anno, quali opportunitate usus[3]) Romam ille venerit, liquido eruere non possumus, cum epigrammata ipsa ansam ad hanc rem diiudicandam non dent. Proximum igitur est, ut quibus temporis indicia impressa sunt carmina interpretati terminos quosdam constituamus, qui initio et exitui vitae Crinagorae eiusque profectioni in Italiam proximi pangendi sunt. Primum sub examen vocemus

ep. XXXII.

Hoc epigrammate poeta iuvenili quodam, ut mihi videtur, fervore provectus vehementissime sortem Corinthi, urbis olim clarissimae, deplorat, cuius gloria antiquissima foede inquinata esset turba „venalium nequam" servorum, qui ossa Bacchiadarum nunc indigne premerent. Mari eam submersam esse cupit, Aegira (?) humiliorem, desertiorem Lybica arena. — Intellegenda nimirum est libertinorum colonia a Julio Caesare a. 710 in Isthmum deducta, qua Corinthus, si Dioni (l. 43 c. 50) fidem adiungimus, τότε ἅμα ἀνεβιώσκοντο (etiam Carthaginis mentionem

---

[1]) Hoc saepius non parvi esse momenti infra ostendam.

[2]) Item non plane abiecerim eiusdem v. d. de Evandro (ep. 22) opinionem. Hunc enim *coelatorem* Evandrum, captivum Alexandria Romam deductum (sec. Porph. ad Hor. sat. I 3,91), esse conicit. Eius verna Hymnis appellari et Crinagorae Hymnis esse *potuit* profecto.

[3]) Quamquam de hac re coniecturam qualemcunque periclitari licere comprobabimus p. 20 sq.

fecerat scriptor) καὶ ἔμελλον αὖθις ἀνθήσειν.[1]) Spirat hoc carmen ingenium non modo poeticum, sed etiam vere Graecum. Graecus poeta loquitur, cui factum illud opprobrium Graeci nominis esse videtur et *recens* in visceribus haeret. Quod qui reputarit, consentiet mecum carmen anno 710 vel paulo post conditum esse censente,[2]) id quod cum indiciis externis ex omni parte congruum est. Hoc posito consequens videtur esse Crinagoram, alterum quasi Horatium, a partibus primum adversariorum Caesaris stetisse, neque tamen, cum postea in familiaritatem gentis imperatoriae se insinuaret, perpetuo eis adhaesisse, sed novo rerum ordine postremo acquievisse. Contra qui eam sententiam amplectuntur, qua hoc epigramma posteriori aevo attribuitur, ei artificiose occasionem quandam excogitare debent, qua adductus poeta hos versus concinnaverit. Atque cum revera se, quod quaesiverant, invenisse putant, nova exoritur difficultas. Nam quomodo poeta, qui Octavia eiusque liberis familiariter usus est, tam petulanter invehi potuit in Caesarem ipsum, cum coloniam ab eo deductam eiusque incolas (cf. v. 5) tam protervis dictis incesseret? Quod aenigma illi quidem Crinagorae lectoribus proponunt, solvere nequeunt. Ne Geistius quidem feliciter omnes scopulos eluctatus est, cum ad iter quoddam in Asiam factum versus illos referret. Quid revera hunc v. d., ut multo post Caesaris mortem epigramma compositum esse ratiocinaretur, adduxerit, diserte ipse non exposuit. Suspicor equidem factum id esse opinione quadam de poetae aetate praesumpta. At, uti dixi, iusta argumenta proferri non possunt, quibus Crinagoram nondum ante a. 712 scribere potuisse appareat; *scribere* dico, non Romae commorari. Nam ut illud certum videtur, ita hoc argumentando effici nequit, immo multo verisimilius est eum tum etiam extra Italiam moratum esse. Quod si recte statuerimus, commodissime iam hoc loco ea epigrammata recensebimus, quae spectant me iudice ad migrationem illam Italicam.

---

[1]) Cf. Paus. II 1,2.

[2]) *Non post a. 712;* sic Mommsenus, qui in appendice libri de loco cladis Varianae (Berol. 1885, p. 62, ann.) hanc sententiam ascivit.

Huius nonnulla vestigia relicta sunt.[1]) Neque enim umquam mihi persuadebo *renavigaturum* ex Lesbo in Italiam poetam carmen 43 panxisse, postquam aliquamdiu in patria versatus esset. Immo non modo verisimile est, sed optime cum universo epigrammatis tenore consentaneum Crinagoram hanc *primam* navigationem parantem a Menippo Pergameno petisse, ut descriptione itineris missa „dux sibi fieret", nisi forte quis fieri potuisse negat, ut Crinagorae amici (ἑταῖροι), ipsi quoque Mytilenaei, Romae iam ante poetae profectionem morarentur. Horum autem desiderio commotus cum ἤδη δηρὸν χρόνον ab eis abesset, ipse Romam demigrat. Neque dicis causa, ut quasi geographi auribus aliquid daret, epigramma hoc Crinagoram scripsisse elucet ex verbo περίπλοον[2]), quod terminus proprius talium descriptionum habendus est neque aliter explicari potest, nisi forte cum Dindorfio (vide notam) genitivum substituas. Menippi vero geographi aetas huic sententiae neutiquam adversatur; nam hoc unum scimus aliis testimoniis eum floruisse post Demetrium Magnesium i. e. *post Ciceronem*. Quae Marcianus, qui Menippi περίπλουν breviavit, de hoc et aliis eius scriptis memoriae tradidit, bene concinunt cum epigrammate Crinagoreo. Nam praeter περίπλουν τῆς ἐντὸς θαλάσσης scripsisse dicitur διάπλους i. e. secundum Muellerum I. p. CXXXVI „navigationes ab altera ad alteram continentem sive linea recta per altum nullisque stationibus interruptas sive via per insularum stationes delineata" διάπλους διά πόρου illas, has διάπλους διά νήσων;[3]) etiam de insulis eorumque *ambitu* dixisse Menippum clare testatur Agathemerus (I, 5), Marcianus denique eum „geographica historicis quoque illustrasse" auctor est. Non frustra διάπλῳ illi διά νήσων vel περίπλῳ a Menippo commodato

[1]) Cf. ep. IX 90 *Alphei*, Crinagorae et aequalis et popularis, qui Romam profecturus (*Ἄρεος πόλιν*) secundam navigationem ut sibi praeberet, Neptunum orat, et Antipatri Thess. ep. X 25.

[2]) Etenim hunc mitti sibi vult poeta, non — quod Muellerus scribit — *ἵστορα κύκλον*, quibus verbis haec itineris descriptio insignuri non potest.

[3]) eas *περίπλῳ* ipsi insertas et subiunctas fuisse Muellerus conicit; quo iure, nescio.

operam dedisse, sed eum diligenter adhibuisse itineri videtur poeta. Hoc intelligitur ex ep. 42, ubi Sybota insulam[1]) *geographos* περιγράψαντας septem stadiis metiri posse perhibet atque de fertilitate insulae et portibus nonnulla eodem ex fonte hausta profert. Hanc vero insulam *Corcyrae*, quam ipse in ep. 43 commemorat ut itineris stationem, vicinam eum praetervehi oportebat, qui ex Graecia in Italiam tendebat; neque alio modo priora duo verba νῆσον τήν (*die Insel hier*) et extremum primi versus ἔχουσιν (*vermögen*) intellegere quisquam poterit. Prospere migrationem processisse ex ep. 46 discimus, quo poeta Neptuni favorem expertus, ut aliis quoque *Aegaeum* mare emetientibus faveat, vota facit.[2]) Maximo igitur ad Menippi aetatem determinandam momento foret, si eruere liceret, quo anno Crinagoras Mytilenis in Italiam demigraret. Id aliquatenus — nam ut supra dictum est, liquido annum nemo dispiciet — continget ratione et via explicatis eis, quae iam censurae subiciemus, epigrammatis:

ep. 23.

Spectat carmen ad *Philostratum* Academicum, Cleopatrae συμφιλοσοφήσαντα (sic Philostratus), quem posteaquam per regios fautores ditatus esset, iam omni auxilio destitutum in misero quodam et deserto Aegypti vico, Ὀστρακίνῃ scilicet, σταθμῷ ἀνύδρῳ, sepultum iri poeta vaticinatur. Complura de hoc philosopho ex Plutarchi Ant. c. 80 (cf. Cat. c. 57, Phil. Vitt. Soph. 6,19) comperimus; Ario intercedente Caesar ei pepercit. Hoc quoque poëma, ut de Philostrati sorte [morte?] nuntius allatus est, quo videlicet Crinagoras vehementer concutiebatur, conscriptum est meo iudicio, i. e. ca. 724. Num tum temporis iam Romae poeta moratus

---

[1]) Ad „Sybota" i. e. quod nos vocamus *Sauweide*, hoc ep. spectare Reiskius speciosa et ingeniosa coniectura assecutus est, quam Jacobsium frustra diluere conatum esse Geistius probavit Thuc. I, 54; Cic. ad Att. V, 9 adhibitis.

[2]) Etiam metrica epigrammatum ratione illam sententiam maxime commendari demonstrabimus infra p. 38,41[1], 42. Ceterum ad Menippi amicitiae memoriam excitant nos nonnulla geographica nomina exquisitiora cf. epp. 34, 36 (39, 28,31, 18?)

sit, ex his versibus minime concludi potest; sed ei qui id ponit, non habeo quod resistam. Multo autem verisimilius hoc poneretur, si verum esset — id quod Brunckius, Reiskius, Jacobsius statuunt —

ep. 47

quo amicus Crinagorae „intra bibliothecae claustra usque retentus“ ut Athenas profectus mysteria Eleusinia invisat, admonetur, si verum igitur esset in laudem initiorum Eleusiniorum „quibus Augustus a. 723 initiatus est,“ carmen concinnatum esse.[1]) Mihi haec temporis significatio in epigrammate inesse non videtur, quod idem probatur Geistio, qui quidem illa coniectura reiecta alteram profert magis probandam. Nam Crinagoram ipsum Athenis moratum [in itinere in Italiam suscepto?] atque sacris eis initiatum esse apparere autumat hoc ex carmine. — In solidiore fundamento iam securis vestigia ponere licet nobis, si recte interpretabimur

ep. 11.

Dubitationi vix obnoxium est, quin Marcellus, quem poeta alloquitur, idem sit ac laudatissimus vir *M. Claudius Marcellus*, C. f., deliciae populi Romani (Tac. Ann. 2, 41; Dion. 53, 31), ab omnibus scriptoribus summis laudibus celebratus, quem a. 712 aut 713 natum esse ex Vell. Pat. 2, 93, Dion. 53, 28 aliisque locis concluditur. Bellum Hesperium (ad quod pertinet eiusdem Crinagorae ep. 34) iure bellum Cantabricum esse censent vv. dd. inde ab a. 727 usque ad a. 729 gestum[2]). Cui etiam Marcellum interfuisse ex Dionis l. 53. c. 26 discimus, ubi per Marcellum et Tiberium, quasi aediles, spectacula in ipsis castris militibus exhibita esse traditur. Idem scriptor narrat etiam a. 729, cum Augustus morbo in Hispania retineretur, nuptias Marcelli et Juliae ab Agrippa paratas esse (ib. c. 27.) Ex Crinagorae igitur epigrammate colligi potest Marcellum iam initio anni 729, priusquam bellum profligatum esset per Augusti legatos (ib. c. 25, Flori II 33) in Italiam reversum festum lanuginis depositae diem

---

[1]) Vide Dion. l. 51. c. 4; Suet. Aug. c. 93; cf. etiam Kiesslingium: Zur Chron. u. Anordn. d. Hor. Oden (Phil. Untersuch. II) p. 53⁷.

[2]) Cf. Hor. c. III 14.

egisse. Cum nuptiarum mentio non fiat neque has sollemnia ea, quibus τὸ πρῶτον γενύων ἠϊθέοισιν ἔαρ[1]) tondebatur, antecessisse verisimile sit, epigramma, de quo agimus, *ineunte anno 729* conditum est; atque hunc in modum certum adipiscimur annum, quo Crinagoras Romae iam versatus sit necesse est.

At etiamsi hoc epigrammate, quod merito in vita poetae praefigitur ceteris, primo peregrinatio, ut ita dicam, Romana stabiliatur, ob ipsum argumentum vix aberrabimus coniectura, si iam aliquot annis antequam sic de Marcello verba facere posset, Romae Crinagoram moratum esse contendemus. Atque reapse hoc comprobatur, etsi Geistius et alii id adhibere neglexerunt, optime et fidissime ex

ep. 41.

Poeta eidem *Marcello* Callimachi poema, quod inscribitur Hecale, dono mittit, cum par Theseo robur iuventae neque minorem vitae splendorem adulescenti optat. Nonnullis annis ante nuptias cum Julia initas puero etiam Marcello hoc carmen concinnatum esse liquet, ut nunc verisimillimum fiat — id quod ex epigrammate ipso non licebat ad confessum perducere — Crinagoram cum poema 23 scriberet, iam Romae fuisse. Item epigramma illud si cum ep. 29, quo *Antoniae* (v. p. 13) diem natalem (?) agenti codicem lyricorum muneri dat,[2]) atque cum ep. 4, quo Proclo, abecedario cuidam incognito nobis, quamquam Geistius eum nosse sibi videtur (v. p. 6), calamum scriptorium mittit, si igitur cum his carminibus illud componamus, patefiat, quomodo Romae se gesserit poeta, quae ei in urbe vitae conditio fuerit. Qui in eis Graeculis videtur habendus esse, qui posteaquam Romam se contulerunt, *praeceptorum* vicibus fungebantur simulque poesin et doctrinam suam diversissime in usum suum convertebant [velut epigrammata ea condebant, vel videntur potius condidisse, quae in sepulcris inciderentur]. Poeta

[1]) ep. 7, 4, quod falsissime Geistius ad eandem occasionem nescio quo pacto referri vult, cum *Εὐκλείδης* non nomen esset fratris poetae, sed corruptum ex *εὐκλειᾶ* vel *εὔκλειον*, vide notam.

[2]) Hos codices ipsum descripsisse praeter necessitatem sumit Geistius, vide Baehrium l. l.

Mytilenaeus quamquam et domum (ep. 44) et servum (ep. 14) possidebat, ipse se hominem curtae crumenae esse et frustra divitiarum somnia effinxisse profitetur ep. 27. Cum praeterea ex carminum stilo et elocutione planissime eluceat[1]) in grammatica studia Crinagoram incubuisse, non meram coniecturam[2]) excudisse nobis videmur, cum eum grammaticis et praeceptoribus ascriberemus, quorum permagnus certe numerus Romae fuit Augusto regnante. Ex carminibus autem, unde profecti sumus, simul collegeris eum vel *Octaviae liberos* Graeca lingua atque Graecis scriptoribus interpretandis erudivisse. Quod certis argumentis ut demonstretur, nemo postulet, immo si quis hoc ita esse neget[3]), quo ei persuadeam, nihil habeo. Quamquam opinioni illi suffragari quivis concedet cetera carmina, quae ad Octaviae familiam spectant. Quorum primum contemplemur

ep. 8

iure relatum ad *Antoniam*, corporis forma et indole mentis pariter excellentem,[4]) τὴν σωφροσύνῃ καὶ κάλλει περιβόητον Ἀντωνίαν (Plut. Ant. c. 87, cf. Crin. ep. 29,4). Lucinam poeta precatur, ut mites dolores annuat, quos Antonia puerperio perpessura sit. Cuius infantis puerperium intelligendum sit, poemate ipso non significatur, sed cum praeter Drusum (πόσις) et Liviam (ἑκυρή etiam Octavia (μήτηρ) nominetur, ante huius mortem epigramma editum est (a. 743). — Ad *Cleopatram*, Antonii ex Cleopatra filiam, cuius tutelam Antonio et Cleopatra mortuis Octavia item, ut ceterorum liberorum acceperat (Plut. Ant. c. 87), quam ipsa educavit filiae loco, pertinet ep. 28. Reiskius ad Berenices cum Ptolemaeo nuptias respici arbitratus Calli-

---

[1]) Vide insequens caput.

[2]) Quae confirmatur exemplo *Antipatri Thess.*, aequalis poetae, eadem conditione vitae usi, qui se *ludi magistrum* esse ipse auctor est A. P. V 3: εἰς πολλοὺς ἠϊθέων ὀάρους.

[3]) Fortasse propter Strab. l. XIV p. 675: (ἐκ Τάρσου) Ἀκαδημικὸς δὲ Νέστωρ ὁ καθ' ἡμᾶς, ὁ Μαρκέλλου καθηγησάμενος, τοῦ Ὀκταουίας παιδός. Sed alter grammatice Marcellum instituere potuit, philosophia alter.

[4]) consulto non dico animi, nam in Claudium filium morum praeferebat immanitatem matre prorsus indignam (Suet. Cl. c. 3). Ad eandem revocatur ep. 12 (cf. p. 45).

macho carmen tribuit (in notitia poetarum antiquiori cuidam Crinagorae). Id vero omni firmo fundamento carere luculenter eis, quae *Passovii* et *Weigandi* opera[1]) iam de compositione Anthologiae constare dicendum est, demonstratur, siquidem hoc epigramma ut *omnia* Crinagorea in continua serie epigrammatum legitur, quae ordinem alphabeticum sequuntur et ab poetis Crinagorae aetati proximis condita sunt. Nihilo minus Geistius l. l. epigramma Crinagorae abiudicarat, antiquius ab huius auctore expressum atque erratum esse ratus in poetae nomine; sed postea (Z. f. d. A.W. 1849, 40) ipse illam opinionem abiecit et ea compensavit, quam Hullemanus[2]) de carminis causa iam a. 1845 conceperat. Hic enim nuptias Jubae et Cleopatrae (Plut. l. l., Dion. 51, 15) a poeta significari suo iure monuit. Kiesslingius (l. l.), qui Parisinae editionis indiligentia deceptus illam sententiam ut novam profert, in auxilium vocavit, quae Mommsenus de his nuptiis et de regno Iubae in Eph. ep. vol. I. p. 276 disseruit, quibus constaret a. 734 sollemnia illa acta eodemque epigramma compositum esse. Universa sententia, uti dixi, mihi probatur; nam si quis in nominibus geographicis offendat, Graeculum hunc, quamquam amicus fuit Menippi, artem geographicam non admodum callere reputet (cf. infra p. 22). Aliam vero nos atque vv. dd. opinionem animo imbibimus de tempore illarum nuptiarum, quas, ut Niesius (l. l. p. 35. ann.) Jubae mortem, item propter Strab. l. XVII p. 828[3]) propius ad *initia* regni protrudendas esse existimamus. — Ad eandem *Cleopatram*, quam Plut. (ib. c. 36) et Suidas, (s. v. Ἰόβας: . . . τὴν Κλεοπάτρας θυγατέρα, Σελήνην, ... ἐπεποίητο γυναῖκα) *Selenen* appellatam esse tradunt, ad hanc igitur Geistius (Z. f. d. A. W. 1849, 40) referri fortasse posse significavit, *Woltersius* autem (Mus. Rhen. vol. 41, p. 345) illius opinionem

---

1) Ille in „Opusculis Academicis", hic in Mus. Rhen. a. 1845 et 47.

2) „De vita et scriptis Jubae Maurusii disputatio". Symbolae literariae doctorum Gymn. Batav. fasc. 7. Librum ipsum inspicere non potui.

3) *Ἰούβας μὲν οὖν νεωστὶ ἐτελεύτα τὸν βίον;* nummi cum utraque sententia coire videntur

ignorans nuper iam fidentius rettulit etiam ep. 19, quo Selenes cuiusdam mors deploratur. Coniectura memorabilis certe est; sed cum Selene obierit a. 750, metrum carminis parum expolitum (vide p. 31 et 38) illi opinioni adversatur, mirum praeterea videtur neque regem Jubam neque *reginam* Cleopatram nominari, sed in uno *cognomine* se continuisse poetam (cf. etiam p. 6). At quoquo modo res se habet, nemo infitias ibit Crinagoram in familia Octaviae, quae Graecis poetis et scriptoribus magnopere favebat[1]), gratia floruisse et satis familiariter usum esse Marcello eiusque sorore Antonia. Cum Druso enim, Germanico, Tiberio, Augusto non artiore necessitudinis vinculo copulatus erat, quamquam complura poemata, quibus illi celebrantur, exstant in Anth.: epp. 26, 34, 45 (cf. 48) ad *Augustum*, ep. 49 ad *Tiberium*[2]), ep. 31 ad *Germanicum* pertinent, ep. 33 ad Tiberium et Germanicum (vide p. 21); *Drusus* commemoratur cum *Livia* et *Octavia* in ep. 8. Horum autem omnium nemo compellatur a poeta. Quam ob rem quod Geistius suspicatur una cum Augusto in Asiam Crinagoram profectum esse (propter ep. 26, ubi capella σύμπλοος Καίσαρος facta inter astra se relatum iri sperat), id tam mirum est quam omni fundamento destitutum. Paulo plures probabilitatis numeros habet eiusdem v. d. sententia de itinere Crinagorae Hispaniensi, modo poetam non Augusti, sed [discipuli sui?] Marcelli comitem fuisse statuamus, quocum una eum ad nuptias parandas praemissum esse. Tale enim iter testari epp. 34 et 15 haud inepte autumat v. d.[3])

Jam secundum consilium initum restat, ut carmina obi-

---

[1]) Id discimus e. g. ex Plut. Poplic. c. 17 et, si recte coniectum est, ex nomine *Antonii Thalli* poetae. Germanicum autem epigrammatis vacasse efficitur ex carminibus, quae in Anth. sub eius nomine feruntur.

[2]) Cuius cum expeditiones Armenica et Germanica canantur, carmen post a. „746" (Dion. 55 6; Vell, Pat. II, 97) ortum est. Etiam de „barbarorum incursionibus" in Galliam Comatam (Suet. Tib. c. 9) cogitare posse Mommsenus me monuit, neque tamen has a poeta notari crediderim, cf. Herm. vol. 15, p. 111.

[3]) Speciosam *Geistii* coniecturam de Aquis Pyrenaeis ad ep. 34 ipsum afferam. Contra ep. 39 parum apposite ad eam coniecturam fulciendam (propter viam per Ligures Capillatos ducentem) v. d. allegavit.

tum Crinagorae proxime concinnata sub examen vocemus. Supra cum de testimoniis extrinsecus haustis ageremus, nihil indicavimus obstare, ne Crinagorae vitam in Tiberii aetatem promotam esse sumeremus. Via igitur plana utrimque patente videndum est, num largum illud temporis spatium circumcidere possimus. At primum defungi nos oportet duobus epigrammatis, quae falso iudicio Tiberio imperante scripta esse dicuntur:

epp. 25 et 48.

In priore sermo fit de *Nicia* Coo, cuius cadaver cives tumuli obicibus vecte amotis effoderunt effossoque insultaverunt. Viri docti non dubitant hunc Niciam cum illo eundem esse declarare, qui tyranniden Coorum arripuit sec. Strab. l. XIV p. 658 et Ael. vv. hh. 1,29. Quem Coorum libertatem oppressisse annotant sub Augusti et Tiberii regno vel huius sub imperio solo. Hanc notam ut examinarem, Niciae nummos consului, quibus de Sallet., museo nummario Berolinensi praefecto, comiter me adiuvante illam sententiam facile corrigi posse intellegebam. Nam unus ex eis nummis hoc habet aversum: Νικίας Χάρμυδος Κωΐων (Mionnet. 3,408, nr. 82), unde nihil sane discimus; Charmydus magistratus quidam fuisse videtur. At in *imperatoriis* Coi insulae nummis idem obviam fit Charmydus, sed coniunctus cum Augusto sic (ib. nr. 84): Σεβαστος: Χάρμυδος Κωΐων; inde elucet *Augusto* regnante Niciam floruisse. Huic temporis indicio certissimo, ut mihi videtur, scriptores neutiquam repugnant. De Aeliani fabella inepta, qua Niciae augurium quoddam ante tyrannidem acceptum refert, non est quod laboremus, Strabonis autem de Nicia verba capiti ei, quod Coo dicatum est (l. XIV. p. 657/58), intexta haec sunt: καὶ καθ' ἡμᾶς Νικίας ὁ καὶ τυραννήσας τῶν Κώων, καὶ Ἀρίστων ὁ ἀκροασάμενος τοῦ περιπατητικοῦ καὶ κληρονομήσας ἐκεῖνον. ἦν δε καὶ Θεόμνηστος ὁ ψάλτης ἐν ὀνόματι, ὃς καὶ ἀντεπολιτεύσατο τῷ Νικίᾳ. Opera levi cognoscitur nihil in hoc loco inesse, quo ut Niciam tum etiam vivum fingamus, adducamur. Immo quae de Aristone philosopho et de Theomnesto deinceps narrat, suadent, ut Niciam tyrannide depulsum ponamus eo tempore,

quo Strabo opus suum composuit (ca. a. 18 vel 19), praesertim si verba ἦν δὲ καὶ respiciamus. Itaque Crinagorae quoque epigramma de poeta Tiberio regnante etiamtum vivo nihil omnino continet (vide praeterea p. 45). — Haud aliter iudicandum est de epigrammate 48.

Cuius de interpretatione optime meritus est Geistius, cum quis esset Κρίσπος, ad quem versus suos Crinagoras direxit, fidenter erueret. Approbavit enim Schneideri, qui de Passieno Crispo, amico Senecae (cf. Anth. Lat. nr. 405 et 445), cogitaverat, sententiae refragatus Crispum Crinagorae esse *Sallustium Crispum*, quem ex compluribus Taciti et Plinii locis atque ex Hor. sat. I 2, 48 et c. II, 2 affatim novimus, cuius immensae divitiae et magna apud imperatores auctoritas saepius commemorantur. — Quo accedunt quae Jahnius et eius sententiam qui amplificat et corrigit, Zangemeisterus in Herm. vol. II de hoc carmine disseruerunt. Egregie enim, ut v. d., quem ultimo loco laudavimus, demonstravit (p. 469 sq.), locorum descriptio convenit, siquidem Vitruvius (III 2, 2) testis est fana *Trium Fortunarum* (Τρισσαὶ Τύχαι) proxime fuisse portam Collinam itaque etiam hortos Sallustianos (Tac. hist. III 82), quos Crispus ab historico hereditate acceperat. Ad Horatianum quoque carmen illustrandum paullulum lucramur epigrammate subsidio arcessito, id quod usque ad Kiesslingium neminem editorem fecisse mirum est. Namque ex quarto versu discimus Sallustium non modo divitem fuisse et eximia potentia floruisse, sed etiam praestitisse maxima in amicos liberalitate et benevolentia. Quod si verum est, Schützii et eorum qui eum sequuntur, sententia de Crispi aviditate[1]), quae dubito an Horatii versibus niti nequeat, penitus corruit. Nostra autem multo pluris interest constituere, quis Caesar ille fuerit, per quem ut altius etiam (μεῖζον) evehatur Crispus, optat poeta, Augustus an Tiberius. Ut ex Taciteis locis elucet, imprimis apud Augustum eximia potentia pollebat, ita ut „incolumi Maecenate proximus, mox praecipuus, cui

[1]) Haec enim annotat: „Eine gewisse Andeutung seiner Habsucht und Verschwendung lässt sich auch hier nicht verkennen."

secreta imperatorum inniterentur“ a scriptore (ann. III 30), qui qua solet brevitate et perspicuitate indolem et mores Sallustii depingit, iure nominari potuerit. „Aetate autem provecta, fato potentiae raro sempiternae“ ut Tacitus opinatur, fortasse autem, invisus factus „ut particeps secretorum“ (ib. I 6) de Postumo Agrippa, „speciem magis in amicitia principis quam vim tenuit.“ Quod si ad initum cursum nos revocantes anquiramus iam, quo potissimum imperatore poeta illud votum conceperit, vix dubium est, quin Augustus intellegatur a poeta, non Tiberius, quo imperante Sallustio „iam nihil reliquum erat, quod cuperet,“ quo imperante Sallustius admodum senex a. 773 mortuus est. Neque igitur hoc epigramma ad Tiberii regnum revocari potest, neque omnino certum temporis indicium continet[1]), ha udaliter atque illud de Nicia poema. — Quod contra utrumque asserendum est de eo, quod ultimum examinaturi sumus, quod proxime[2]) eorum, quae aetatem tulerunt, epigrammatum abesse videtur ab Crinagorae obitu:

ep. 31.[3])

Summis laudibus res a *Germanico* contra Germanos[4]) gestae praeclarissime extolluntur atque amplificantur. Alpes et Pyrenaei montes invocantur, qui testes essent radiorum, quos Germanicus fulminasset. Confertos corruisse barbaros, iam Enyo atque Martem suam vim debere Germanico. Ei qui Crinagoram sub initium regni Tiberii iam mortuum esse censent aut reversum in Graeciam (?), hoc carmen referunt ad Drusum Germanicum. Quorum sententiam antehac ego quoque amplexus eram propter descriptionem regionis, quae non quadraret ad Germanici expeditionem, propter nimiam adulescentuli adulationem, postremo propter ep. 49, quod cum hoc epigrammate ita putaveramus conexum esse ut Horatii carmina IV, 4 et 14, cum poeta altero Tiberium (quo fortasse non minus familiariter usus esset quam Parthenius), Drusum altero celebraret. Hanc opinionem Momm-

---

1) De *re metrica* illam sententiam adiuvante cf. p. 44.

2) Sed vide p. 21.

3) Id falso Lollio Basso Planudes assignat, cf. notam.

4) *Κελτοί* nominati sunt de more.

senus prorsus mihi expunxit ea re, quod nullo modo poema ad Drusum Germanicum[1]) iam defunctum spectare posset, sed vivum celebraret. Quod vero ad nomina geographica attinet, mira sane sunt, neque tamen minus mira, si prius bellum intelligitur[2]). Perinde errabam de adulatione nimia, quam carmini subesse statuebam. Nam minime haec praedicatio indigna est expeditionibus, quales fuerunt annorum 768 et 769. Hac enim ex parte cum viro doctissimo conspirare non possum, post a. 764 epigramma compositum esse autumante, quo sane iam imperii particeps Germanicus erat, sed una cum Tiberio (Mommseni H. R. vol. V, p. 45). Neque vero quidquam praeclari aut notabilis eo anno factum auctores exhibent, immo Romani parum impigre et strenue se gerebant. Quod si nihilo minus Crinagoras illum in modum laudes Germanici ob res eo anno gestas caneret, iure sordidissimus assentator appellandus esset, quo crimine non magis mihi videtur accusandus quam ipse Horatius. Epigramma igitur, de quo agimus, p. a. 767 concinnatum est — atque ut indicia temporum iam breviter comprehendamus cuncta:

Crinagoras *post a.* 767 mortuus est Tiberio imperatore. Quot annis post hoc acciderit, erui non potest, quamquam non ita multi ei circumacti sunt, qui iam ante a. 712 poesin temptavit atque ante annum 729 Romae versabatur, ut carmen ad Philostratum pertinens iam in urbe ca. a. 724 compositum esse possit (et *Menippi periplus* ante hunc terminum collocandus sit), porro ei, qui — ut testimonia quoque repetam — unus ex prioribus Philippi Coronae poetis nominandus est, qui denique aequalis et amicus fuit Parthenii, quem multo ante Tiberii regnum mortem occubuisse Meinekius ostendit. Haec sunt omnia, quae caute epigrammata interpretanti de Crinagorae aetate constant. Accedit id quod de migratione Lesbo in Italiam suscepta supra nos comprobare studuimus. Qua vitae conditione usus sit, coniectura nullo negotio assequi possumus: verisimillimum est hunc

[1]) Post decessum ex vita Drusum hunc titulum accepisse Suet. Claud. c. 1 et Dion. 55,2 auctores sunt.

[2]) Vide tamen ne *Celtarum* significatione excusentur. (cf. notam.)

Graeculum magistri munere functum esse, fortasse vel Octaviae liberos erudisse.

Jam quaerentibus nobis, quomodo fieri potuerit, ut Crinagoras, ignobilis ceteroquin Mytilenaeus, ad hunc vitae statum evectus illustrissimam gentem Octaviae necessitudine quadam contingeret, non dissimulaverim, quamvis dubitanter enuntiem, conieeturam quandam, quam de hac re animo concepi.

Supra (p. 4) *Theophani* historico quantum Mytilenaei debuerint, significavimus. Quem non modo libertatem eis impetrasse a Pompeio, sed etiam alio modo profuisse testantur et Strabonis verba (XIII p. 617.): καὶ πάσας συγκατώρθωσεν αὐτῷ (sc. Πομπηΐῳ) τὰς πράξεις, ἀφ' ὧν τήν τε πατρίδα ἐκόσμησε, τὰ μὲν δι' ἐκείνου, τὰ δὲ δι' ἑαυτοῦ, et Taciti (ann. VI c. 18): „defuncto Theophani caelestes honores[1]) Graeca adulatio tribuerat", et inscriptio in Dittenb. syll. nr. 260: . . φιλοπάτριδι Θεοφάνῃ, τῷ σωτῆρι καὶ εὐεργέτᾳ καὶ κτίστᾳ δευτέρῳ τῆς πατρίδος. (cf. Mitt. d. arch. Inst. in Athen 1884 p. 87); etiam poesin in eius familia cultam esse comprobatur exemplo M. Pompei Iunioris. Nonne igitur consentaneum est hunc virum eiusque posteros qui similiter apud imperatores multum auctoritate valebant (cf. p. 4), populares adiuvisse omni modo, si Romam venissent, vel ut eo se conferrent compulisse? Nonne fieri potuit, ut Crinagoras, vir non vulgari ingenio, item eorum liberalitate et humanitate usus Romam provectus eam conditionem vitae nancisceretur, quam supra descripsimus?[2]) Atque si ipsos non adierit, tamen eorum exemplum eum secutum, eorum auctoritate permotum Romam migrasse dicendum erit.

---

[1]) cf. nummos cum epigraphe: *Θεὸς Θεοφάνης Μυτ.* Mionnet. III. p. 47. nr. 108.

[2]) ep. 810 apud Kaibelium si deberetur M. Pompeio Juniori, ad hanc sententiam firmandam non paululum faceret.

Mantisa Variana.

Mantisae loco fusius disserere non pigebit etiam de duobus eis epigrammatis, quorum causa Mommsenus libello, quem saepius iam laudavimus, appendicem de Crinagora adiecit. Ac primum quidem de

epigrammate 33

v. d. assentior eatenus, ut clade quadam a Germanis accepta id excitum esse putem. Profecto egregie et melius quam ex scriptorum narratione, si qui eundem casum rettulerint, hinc elucet, qualis Romae tum fuerit habitus animorum, quam graviter nuntio illo funestissimo concussi sint. Sed si certam occasionem epigrammatis illius ingenium vere poeticum prodentis circumspectamus, non ad cladem Varianam cum Mommseno decurrerimus, sed ad expeditionem *Germanici* anno *769* susceptam (cum *Johnsonio* in Boschiana ed.), qua ex tempestate summa calamitas ac paene pernicies Romanis exorta est. Neque enim translate de populis ad Oceanum habitantibus primum versum accipimus, sed de infesta *Oceani* ipsius vi, cui commode subicitur periculum a Germanis impendens, si Rheno epoto (ἄπαντα) in imperii Romani fines facile penetrare possint. Id autem nihil nociturum esse Romanis, quamdiu fideles esse perseverarent Caesari (*Tiberio*, non Germanico, ut Johnson. dicit). Et recte vaticinatus est Crinagoras; id illustratur Taciti verbis, quibus quam celeriter Romani se collegissent eodem anno, clarissime describit, cum Germanos praedicantes facit (ann. II 25): „invictos et nullis casibus superabiles Romanos, qui *perdita classe*, amissis armis, post constrata equorum virorumque corporibus litora eadem virtute, pari ferocia et velut aucti numero inrupissent.“ Item paulo aliter ac Mommsenus sentio de

epigrammate 24,

quod ad eandem cladem vir doctissimus referri vult. Carmine non exiguis vitiis traditionis implicato, quorum maior quidem pars feliciter a Jacobsio sublata sunt, miles quidam Italicus celebratur, qui fortitudine sua *aquilam* exercitus servavit. Omnium temporum fortissimos heroas poeta invocat, coram quibus facinus bellatoris illius laudaturus est. Quem cum

iaceret ad *Rheni* ripas vulneribus paene confectus atque aquilam exercitui ereptam vidisset a barbaris, exsiluisse rursus ex strage mortuorum et occiso eo, qui illam ferebat, ducibus restituisse. „Huic soli“ sic elegantissime, ut assolet, Grotius vertit, „licuit vincere dum moritur.“ Simile facinus refertur a Floro (II 30) his verbis: „Signa et aquilas duas adhuc barbari possident, tertiam signifer priusquam in manus hostium veniret, evolsit mersamque intra baltei sui latebras gerens in cruenta palude sic latuit.“ Hac Flori narratione commotus v. d., cum alii bello carmen adscribi non posset, non modo simile, sed idem factum ab utroque indicari concludit. In universum sane largiri nobis licet quod Crinagoras celebrat, facinus in pugna Teutoburgiensi commissum esse, etiamsi locorum descriptio ne hoc quidem in epigrammate quadret ad cladem illam. Porro cum versus quintus, quo de una tantum aquila sermo est, ceterae omittuntur, non magnopere faveat ei sententiae, ultimus versus non abhorrere videtur a pugna Variana. Quam quidem intellegere nos ut nihil cogit, ita nihil prohibet magnopere. Flori autem capite in auxilium vocato nova lux certe non affulget Crinagorae carmini. Immo id unum consentiunt, quod uterque aquilam militis virtute ab hostium manibus defensam tradit, in reliquis discrepant quam maxime. Unde apparet, quamvis hoc deneget Mommsenus, ad aliud bellum epigramma revocari posse: res ea, quam ille canit, tanti momenti non erat, quod iam Brodaeus percepit rectissime, ut ab unoquoque illorum temporum scriptore eam relatam esse oporteat. Nos igitur etiamsi Mommseni sententiam probabilitate non carere concedimus, tamen carmini illam pugnam locum *necessario* fecisse diffitemur.[1])

At ut demus plus, quam dandum est, veram esse Mommseni explicationem, quo modo Flori et Crinagorae narrationes conciliari possunt inter se? *Nullo* existimo alio nisi hoc, ut utrumque rem non factam, sed fictam aut rumore saltem exaggeratam referre dicamus. Cui sententiae tres opitulantur causae: primum quod nemo scriptor, a Floro si discesseris, rem

---

[1]) de *re metrica* parum istam opinionem commendante vide p. 40.

tanti, si cladi Varianae tribuatur, momenti neque spernendam fido auctori praesertim Romano commemoravit, immo Dio etiam tertiam aquilam in hostium manus incidisse indicat l. 60 c. 8, quocum l. 57 c. 18 conferendum est; deinde quod Florus omnino incertos auctores secutus esse videtur, ut verba „adhuc barbari possident" ostendunt; tum quod — idque gravissimum — ad eiusdem fabulae exemplum effictum est, quod Silius Italicus bello Punico secundo atque id pugnae ad *lacum Trasimenum* commissae vindicavit; haec enim de Bruttio milite Romano, narrat l. VI

v. 15 Nec tamen adversis fuerat fracta Itala virtus.
v. 25 Inde honor ac sacrae custodia Marte sub omni
Alitis; hinc causam nutrivit gloria leti.
Namque necis certus, captae *prohibere nequiret*
Cum Poenos aquilae, postquam subsidere fata
Viderat et magna pugnam inclinare ruina,
Occulere interdum et terrae mandare parabat.
Sed subitis victus telis labentia membra
Prostravit super atque iniecta morte tegebat.
Verum ubi lux nocte e Stygia miseroque sopore
Reddita, vicini de strage cadaveris hasta
Erigitur soloque vigens conamine late
Stagnantem caede et facilem discedere terram
Ense fodit clausamque aquilae infelicis adorans
Effigiem *palmis languentibus aequat arenis.*
Supremus fessi tenues tum cessit in auras
Halitus et magnam missit sub Tartara mentem.

Quamquam multa variata sunt, tamen non uno nomine haec expositio ceteris consimilis est. Quid veri his fabellis subsit, eruere difficillimum est. Tales vero narratiunculae ab aliis aliter exornatae post maximam quamque victoriam[1]) et cladem exortae libentissimeque exceptae celerrime dissipantur, ut horum quoque temporum memoria luculenter demonstratur.

[1]) *Grotius* (in praefatione) cum hoc epigrammate confert quod Dio (68,14) de equite quodam refert, qui simile viri fortis facinus edidisset.

II.
De Crinagorae elocutione et dialecto.

Justam de elocutione Crinagorae disquisitionem hoc loco exhibere ideo supersedemus, quod in verborum indicem, quem opusculo adiunximus, ut in horreum omnia insigniter dicta referre conati sumus ac simul, cur singularia ea essent, breviter indicavimus. Itaque satis sit hoc in capite in universum pauca de stilo poetae disseruisse. Ac primum id neminem, qui his epigrammatis vacaverit, praeteribit sermonem poetae Mytilenaei colorem *epicum* praeferre in verbis eorumque formis atque in structuris grammaticis.[1]) Quamquam igitur oratione utebatur non insita, sed assumpta, „non ex ore hominum viventium, sed ex libris studio et labore accepta“ (Jacobs. praef. p. XLIII) tamen summa cum sollertia eam in usum suum convertebat; unde profectus recte Bährius (l. l.) colligit poetam diligenti eruditione (et lectione veterum et Alexandrinorum poetarum, cf. epp. 41 et 29) imbutum esse, qua ceteris poetis illorum temporum excelleret perinde atque alia poetica virtute, quam optime vir doctissimus *eine gewisse Gediegenheit seiner Poesie* appellasse mihi videtur. Quae humanitas planissime comparet etiam in eis vocibus, quas novas poeta finxit (28 in 274 versibus) aut nova structura induit aut denique in epico thesauro penitus absconditas carminibus adhibuit et reviviscere iussit. In his grammaticus Mytilenaeus saepius vel felicissime versatus est. Quod studium nova et insignia vocabula versibus inserendi non raro sane fatale fuit poematis ipsis imprimis eis, quae ἀναθηματικά vocantur. Hic quoque saepe „simplici et apertae viae implicatiores calles praetulit“ (Jac. p. LXIX), saepe tam argutus est quam obscurus, ad legendum non venustus, dictione quam usurpat minime expeditus. Id autem commune horum poe-

---

[1]) Sic articulum ex Homerico usu saepe omittit aut *demonstrativa* strativa vi succingit, cuius rei non semper, quae par erat, ratio ducta est, idem de *tmesi* dicendum est frequenter adhibita, haud raro non respecta a viris doctis.

tarum vitium erat, quod Crinagorae magnopere exprobrare non licet. Acerbius igitur quam aequum est Kaibelius in Philodemi editione hunc poetam contemptim „magnae illi rhetorum turbae, stili et artis incuriosae“ annumerat. Quod iudicium eo magis miratus sum, quod observatio ea, unde proficiscitur v. d., Crinagoreis exemplis omnino non fulcitur. Ἠδέ enim particula epica Alexandrinos et politiores poetas semper dicit abstinuisse; nam magnam illam rhetorum turbam, qui scilicet hanc regulam non observabant, se nihil morari; eos numero poetarum eximendos esse. Ut iam dictum est, haec acrior censura ipso eo indicio, quod allegaur, confirmari non potest, quia nusquam apud Crinagoram ἠδέ legitur, nisi forte Kaibelius rationem Jacobsii probat, qui volebat sine causa bis (epp. 42 et 51) eam particulam in textum coniectura invehere. Sane in ep. 6,5 ἰδέ particula legitur, quae in eodem genere ducenda est; sed carmen, ut alio loco demonstrabimus, suppositicium est. Neque maiore successu idem v. d. (Herm. vol. XVII. p. 423) „notum artificium Alexandrinorum, quo praepositionem ad plura substantiva applicandam ultimo nomini adiciunt“, Crinagorae ut aequalibus poetis abiudicat: nam difficilius mihi videtur ep. 34,1 accusativum μόχον ex ἔλθῃ pendere malle quam praepositionem supplere. Immo etiam altero loco (ep. 40,2, cf. notam) eandem structuram Cr. adhibuisse videtur. — Jam priusquam ad dialectum nos convertamus, duas res strictim attingere placet. Ad ep. 48 Geistius annotavit ex lusu, quo poeta verbo Τύχαι et deas et latinum „*fortunas*“ significaret, Crinagoram colligi posse non imperitum fuisse *latinae* linguae. Hoc nemo certe negabit, qui reputaverit non modo cum ceteris Graecis poetis et rhetoribus Romae Crinagorae per longum vitae spatium consuetudinem fuisse, sed etiam cum Romanis. Itaque neutiquam mirum iudicarem, si latinam orationem hic illic ad Crinagorae sermonem conformandum aliquid contulisse appareret. Huius autem rei vestigium exstat revera et in illo epigrammate et in epp. 4 et 5, ubi ἀπὸ θυμοῦ πλείονος et ἀπ' οὐκ ὀλίγης φρενός latinam phrasin „*ex animo*“ reddunt.[1]) Quibus indiciis

[1]) consilio ep. 37,3 reticui, ubi θάνατος pro *corpore* item ac lati-

fretus non dubito Heckeri coniecturam ὁ πᾶς ἐπὶ σοί (cf. ep. 1,6) in epigrammatis 5 versum sextum inferre, qua quidem latinum *totus tuus* egregie refertur. — Utique vero latinus sermo maiorem vim habebat quam *patria* dialectus, cuius unicum vestigium deprehenditur in ep. 36,7: τερένης, quam Aeolicam formam recenset grammaticus quidam (Cram. An. Ox. I, 413; cf. Bergk. ad Alcaei fr. 61: τερένας ἄνθος ὀπώρας) his verbis: πῶς ἡ τέρενα εἴρηκεν; καὶ ἔστιν εἰπεῖν, ὅτι ἀπὸ τοῦ τέρην ἡ γενικὴ τέρενος, καὶ μετάγεται ἡ γενικὴ εἰς εὐθεῖαν ὁ τέρενος, ἀπὸ τούτου θηλυκὸν τερένη καὶ Αἰολικῶς.[1])

His expositis redeamus ad id unde digressi sumus, ad epicum sermonem, quocum concinere diximus *dialectum epicam.* Eam non aliis formis Crinagoram temperasse primum hoc loco monendum est. Qua aequalitate, ut consensu indicaverunt Baehrius et Geistius, mirum quantum ceteris Anthologiae poetis excellit. Haec quoque virtus ex diligenti, qua imbutus erat, eruditione manasse videtur. Nam plerique poetae „in hac re aurium iudicio plus aliquanto quam severis grammaticorum praeceptis tribuerunt atque diversarum dialectorum formis callide coniunctis caverunt, ne aut crebra eorundem sonorum iteratione aures onerarentur, aut dorico πλατειασμῷ elegiaci numeri nimium gravarentur, aut mollioribis ionismi formis nimium enervarentur." (Jac. p. XLV) Certum igitur consilium secuti epicae dialecto doricas formas inserebant poetae atque ex contrario. Hac vero ratione ea carmina destituta sunt, quorum epica species turbatur, si vel una attica aut dorica forma immiscetur, praesertim in eo poeta, qui ceteroquin summa constantia[2]) atque arte quadam epicum colorem sectatus est.

---

num *mors* (vide supra „iniecta morte tegebat", Prop.: „mors mea nixa toro") adhibitum est; nam ep. spurium duco. De *Σκυλοφόρος* = *Feretrius* (ep. 11) cf. caput quartum.

[1]) Vide R. Meister *Die griech. Dial.* I p. 147.

[2]) Uni epigrammati 20, quod *suppositum* esse credit Geistius, exceptionem dedi, cum duae quae ibi leguntur formae doricae: *κἠγώ*, *ἀγητῆρσιν* consulto propter bucolicam carminis indolem quaesitae esse videantur.

Proximum igitur est, ut quae ex illa ratione correctiones flagitentur, in unum componam:

1) ep. 8,5, ubi suo iure Geistius pro ἐκυρά ἐκυρή restituendum arbitratur.

2) ep. 14,6 Κριναγόρου in cod. legitur. Hic exitus ab Crinagorae sermone abhorret, cum alibi semper eos genitivos in εω desinentes conformaverit: ep. 9,6 Ἑρμέω; 25,3 Νικίεω; 36,1 Ἀράξεω. Praeterea poeta se ipse Κριναγόρης (ep. 10,4; 5,6), in quinto casu Κριναγόρη (ep. 2,2) recte appellavit. Quod vero in epigrammate subditivo 16,7 Εὐνικίδαο legitur, inde id probatur luculenter imitatorem non legisse in epigrammate vere Crinagoreo 17,5 Εὐνιδίκου, ut nos, sed Εὐνικίδεω. Jam ut ad ep. 14,6 revertamur, Κριναγόρου eo in textum irrepsit, quod scriba paulo ante in lemmate legerat (non exaraverat, cf. apparatum crit.) eandem formam. Quamobrem poetae reddamus, quod ipsissimum est, rectam nominis formam Κριναγόρεω.

3) Saepius crasis a scribis in pravum detorta est, sed epicam rationem Crinagoram ascivisse Planudes testis est, qui ep. 47,5 recte servavit κἀν. Ad hoc exemplum cetera correximus.

In horum versuum communionem addendi etiam sunt:

4) ep. 32,2, ubi εὕραο corrigo in εὕρεο, ut recte traditur 27,5 μετέρχεο; 43,5 λάβεο (non λάβεν); 44,3 ῥύεο.

5) ep. 3,1, ubi cod. ἐν αγκάς, editores ἐνέγκας, Heckerus ἐνεγκών exhibent, scribe ἐνείκας, item ἐνεικάμενος 1,4 et 29,4.

6) ep. 40,1 P: τέτταρσι, quod Pors. in τετόρεσσι, nos in τέσσαρσι correximus.

7) Cum ep. 29,4 κάλλευς P praebeat, 17,7 κακοσκήνευς cum alibi *semper* formas horum nominum non contractas praeoptaverit poeta, etiam ep. 2,2 λέχευς pro λέχους scribendum esse iudicavi.

8) ep. 42,4: ὄψει P, corrigo ὄψῃ, cf. notam.[1])

---

[1]) Nonnulla quae ad elocutionem poetae spectant, etiam in proximis capitibus tangemus.

III.

De re metrica Crinagorae.[1])

A. De pentametro nonnulla.

1. Acute Kaibelius[2]) animadvertit epigrammatographos meliores quidem maximam operam, curiosissimum studium in versibus quam venustissime concinnandis collocasse, ut tamen lectores potius eos placere persentiscerent, quam cur placerent. Quamobrem si in arcana artis eorum nos insinuare vellemus, opus esse acerrime in versuum indolem, singularum sedium rationem inquirere, itaque regulas, quibus poetae adstricti essent, patefacere. Proficiscitur vero v. d. a Callimacho, „omnium politissimo et accuratissimo numerorum artifice," cuius hexametri sedatiore ingressu exorsi eundo tamquam crescentes summa celeritate exitum peterent. Pentametri autem naturam ita tulisse, ut, ne cursu solutiore praecipitarentur numeri prioris partis — nam altera non potuit nisi dactylica esse — crebriores essent duo spondei vel singuli spondei dactylique (ss vel ds, rarior forma sd videtur esse sec. Hultgrenum) quam bini dactyli, quos rarissime ille sibi indulsisset. Tam severas leges poeta Mytilenaeus in parte certe epigrammatum non sibi scripsit; inveniuntur enim in centum triginta septem pentametris versus spondeis carentes septendecim[3]), quos quidem semper eum incisionibus mollivisse notandum est sicut

---

[1]) Adhibui ad has quaestiones praeter *Jacobsii* de hiatu disputationem (in Addendis ad praefationem, vol. III. p. XIX sqq) et *Hermanni* „Epici versus historiam" (Orph. p. 687 sqq.) haec vv. dd. scripta:
3. *Kaibelii* Observationes critt. in A. G. (Comm. phill. in hon. Mommseni. p. 326 sqq.)
4. *Eiusdem* Philodemi Gad. epigrr. (Index Gryph. 1885).
5. *G. Meyeri* Zur Gesch. d. griech. u. lat. Hexameters (Acta Acad. Bav. 1884).
6. *Fr. Benekii* Beiträge z. Metrik d. Alexandriner. Progr. 1883. Bochum.
7. *Hultgrenii* Observatt. metrr. in poetas elegiacos. Lps. 1871. Progr.

[2]) In commentatione tertio loco recensita.

[3]) Nullum fere exemplum in *posterioris* aetatis epigrammatis exstat.

σκῆπτρα καὶ αἱ βάσιλέων; σὸς δὲ νέκυς φαφαρῇ (ep. 23. ca. a. 724 scriptum). Nam si una tantum caesura inciditur prior pentametri pars, ut hoc schema exsistat: ⏑́ ⏑,⏑ ⏑́ ⏑⏑ ', iam initio versum nimis praecipitari et miserrimos numeros prodire quivis persentit. Et profecto non modo a Meleagreae, sed etiam a Philippicae coronae poetis illam formam diligentissime evitatam esse cognovimus nuper, cum hanc rem anquirebamus. Nam apud *Callimachum* nullum exemplum inveni; *Leonidas Tar.* (95 epp. in Brunckii Anth. Gr.[1]) recensentur) duo exhibet: 59,4; 91,10 (A. P. VII 67; VII 295.); *Ant. Sidonius* (350 disticha cum Meyero respicimus) quattuor, ex quibus duo in nominibus propriis: 12(?),2 (A. P. VI 10); 18(?),6 (A. P. VI 115.); 34(?),6 (A. Pl. 176); 68,4. (A. P. VII 6) — ultimum exemplum tantum certum est; *Meleager* (128 epp.) tria: 11,4 (A. P. XII 56); 38,2 (ib. 110); 112,6 (VII 195). *Antipatri Thessalonicensis*, cuius duodeseptuaginta epigrammata apud Brunckium leguntur, unum illius schematis invenimus exemplum: 20,6 (A. P. IX 297) πρῶτος ἀνερχομένῳ, quae verba non arte coniungenda sunt, ut in ceteris exemplis; unum in *Philippi* epigrammatis elegiacis undequadraginta: 7,2 (A. P. VI 99): Πᾶνα φιλοξενίδης, cui versui nominibus propriis satis excusationis praebetur; unum in *Antiphili* Byzantini carminibus quinque et quadraginta: 33,3 (A. P. VII 622.): σχοῖνον ἀνελκομένῳ, quorum verborum prius ad versum antecedentem spectat; duo obviam fiunt in *Leonidae* Alexandrini epigrammatis quadraginta tribus: 43,2 (A. P. VII 548 n. pr.) et 35,4 (A. P. IX 354): θνήξοιμ', ἀπωσάμενος — unum praeterea in *Parmenionis* Macedonis quindecim, duo in *Diodori* Sardiani sedecim, unum in *Apollonidae* Smyrnaei undetriginta epigrammatis legitur eiusmodi pentametri exemplum; ne unum quidem praestant in carminibus, quae Brunckii recensionem experta sunt, *Alpheus* Mytil. (11); *Philodemus*

---

[1]) Commodo nostro nos ea editione usos esse ingenue profitemur; sed nemo postulare potest, ut singula epigrammata ex Anth. Pal. operose excerpamus. Omnia igitur praestare non possum; fortasse futurus Anth. editor aliquo modo illi incommodo subveniet.

(34); *Bianor* (19); Lollius *Bassus* (11); *Antiphanes* Macedo (9); *Automedon* (11); *Addaeus* (10); *Maecius* (11); Marcus *Argentarius* (33); *Statyllius* Flaccus (12). Ad Crinagoram iam nos convertamus, qui bis in centum triginta septem pentametris illam libertatem sibi sumpsit:

ep. 9,6: ἱερὰ τ'ἀγρευταῖσι γερανδρύου ἀρκεύθοιο
πρέμνα, λιθηλογέες θ' Ἑρμέω ἱδρύσιες,

ubi duo verba initialia ad diversa distichi membra pertinent, alterum ad hexametrum, alterum ad pentametrum, et ep. 24, ubi v. 6 vox ἀρηϊφάτων memoria Homerica orta talem pentametrum effecit simulque ei satisfactionem conciliavit. — In aperto igitur est hunc poetam ut ceteros epigrammatarios tali verborum consociatione, qua versus numeri confringuntur, diligenter abstinuisse neque licere coniecturis vel falsa potius litterarum, quae traditae sunt, compositione[1]) ei hanc licentiam obtrudere. Sed tamen hoc factum est a vv. dd., qui ep. 3,4 traditam scripturam θῆκεν ὁμωνυμίῃ commutarunt in θῆκεν ὁμωνύμιος παῖς πατρὸς Ἀντιφάνης. Filium significaturus est Cr. patri cognominem, quod enuntiare potuit simpliciter sic: πατρὸς τοὔνομ' ἔχων, vel οὗ πατρὸς ὁμώνυμος (υἱός) vel πατρὸς ἔχων ὄνομα, ut in inscriptionibus nonnullis institutum est, vel ut Anyte A. P. VI 153: Κλειτόριος, γενέτᾳ ταὐτὸ λαχὼν ὄνομα vel ut Ant. Sid. ib. 206,9: πατρὸς Ἀριστοτέλους συνομώνυμος. Cui apertiori viae Cr. ut saepe implicatam praeoptavit studio, quod supra adumbravimus, commotus versus rarioribus vocibus distinguendi. Ex eo enim numero poetis est ὁμωνυμίη,[2]) quod verbum etiam in ep. 18,2 occurrit. Quaerendum igitur est, nonne hoc loco illud vocabulum poetae recta traditione vindicetur. Mihi quidem dubium non videtur esse, quin ὁμωνυμίῃ solum nulla praepositione addita idoneum sensum suppeditet, siquidem παῖς nulla re in textum irrepsit nisi patris mentione, quod idem evenit in Aesch. Agam. v. 315, ubi, ut nuper me

---

[1]) Hoc nescio an inscius vitarit Meinekius, cum A. P. VI 298,6 (item atque VI 293,2) rectissime scriberet: *σκῦλ' ἀπὸ Σωχάρεος*.

[2]) Est terminus Aristotelicus notissimus cf. Indicem Bonitzii s. v.; „ergo fortasse ex scholarum usu arripuit ludi magister“ (Dielsius).

docuit Vahlenus, παῖδες, per se ipsum non necessarium, tamen ad sententiam complendam et ampliandam voci γερόντων additum est. Quae cum ita se habeant, sensus eorum verborum, quae codex exhibet, non flagitat correctionem, flagitat autem metrum. Nam si θῆκεν ὁμωνυμίῃ legimus, molesta ea bisyllabi et quinquesyllabi coniunctio oritur. Immo tria verba in traditione oblitescunt: θῆκ' ἐν ὁμωνυμίῃ, ut iam Boissonadio placuit, quamquam non recte interpretatus est „θῆκεν Ἀ., παῖς ὢν ἐν ὁμωνυμίῃ πατρός", immo ἐν ὁμωνυμίῃ continuo cum πατρὸς copulandum est, cum verbum, quod est παῖς, non nisi ut πατρός contrarium esset, poeta interposuit. Itaque vv. dd. conamina, ὁμωνύμιος Jacobsii vel ὁμωνυμίου Heckeri, non modo sensu non postulantur, sed etiam metricae legi refragantur, quandoquidem adi. ὁμωνύμιος artissime cum θῆκεν coniungendum licentiam excusaturo nullam latebram praebet.

2. Meyerus disputatione sua (cf. p. 28, adn. 1,5) optime de re metrica meritus est, cum multas leges adhuc incognitas, sed severe ab poetis Alexandrinis observatas aperuit. In eis de pentametro quoque regula quaedam maximi momenti detecta multisque exemplis illustrata est. Nam primus Meyerus ostendit non licere priorem pentametri partem exire in verbum *iambicum*, quod vix par esset caesurae versus gravissimae. Callimachus, ut hoc uno exemplo utar, in 205 pentametros duos intulit illum in modum conformatos; uterque autem satis excusatur, alter nomine proprio (A. P. VII 89, 16 Δίων, quae lectio etiam hinc stabilitur), alter (V 6,2 φίλον) rhetorico quodam consilio. Non minus severe eandem regulam observavit Crinagoras, quippe qui in centum triginta septem pentametris nullum illius formae admisit, si excipias ep. 45,8: νῦν ἀκέλευστος ἅπας ὄρνις ἀνακρέκεται et ep. 19,2: Μήνη, πένθος ἑὸν νυκτὶ καλυψαμένη. Quamvis libenter haec laesae regulae exempla Crinagorae largiremur, tamen in priore versu verisimilius est iambicum exitum scribae deberi, qui ex v. 5: ἔδραμε δ' ὠκυδίδακτος ἅπας οἰωνὸς ἐρίζων temere ultimum interpolavit, praesertim cum sic epigramma pentametro spondeo carente liberetur. Alter autem pentameter ideo notabilis est, quod si vera esset Geistii et Woltersii coniectura, in epigrammate

legeretur a. 750 scripto. Nos nimirum in contrariam partem ratiocinamur. — Unum legis violatae exemplum exhibet — id quod memorabile est — id carmen, quod iamdudum aliis de causis (cf. caput quartum) suppositum esse existimaveramus, 37,6 ἀθρήσας, τί πλέον φειδομένῳ βιότου. Neque modo idcirco exceptio notatu digna est, quod in insiticio epigrammate legitur, sed etiam aliam ob rem. *Antiphilus* enim, cui Planudes iure epigramma inscripsit, illius legis omnino respectum *non* habuit, nam in quadraginta quinque epigrammatis non minus *duodecies* eam laesit. Hac observatione Planudi fidem augeri magnopere diserte monere vix opus erit.

B. De hexametro.

1. De hexametri osteologia[1]) et singulorum pedum indole.

Inter sedecim, quae concinnari possunt, hexametri formas (quintum et sextum pedes non respicimus consilio), Crinagoras non aliter ac ceteri poetae maxime favit his schematis:

dsdd (triginta versus),
dddd (duodeviginti),
sddd (tres et viginti),
ssdd (quindecim).

Neque tamen consistebat intra ea, sed ex sedecim illis omnino *quattuordecim* in usum suum contulit; semel etiam rarissima forma sdss usus est in ep. 33,1: Οὐδ' ἢν Ὠκεανὸς πᾶσαν πλήμμυραν ἐγείρῃ, ubi spondeis cumulatis sensum optime adaptasse mihi videtur. Non minus rara est ea forma, quae ep. 8,1 usu venit: dsss (Ἥρη, Ἐληθυιῶν μήτηρ, Ἥρη τε τελείη). Ibi quoque sensus clare externa forma illustratur, cum sollemniter Hera invocetur. — In hoc versu caesuram *seminonariam*: Ἥρη, τε τελείη spondeus antecedit, sed hoc licet. Contra illicitus est spondeus *diaeresi* succinctus, ut *bucolica* caesura inse-

[1]) „Osteologiam eam disciplinam metricam Dobrischius („Ein statistischer Versuch über die Formen des lat. Hex.“ 1861) apte appellat, qua singulorum pedum ratione habita, quomodo dactyli spondeos et hi illos excipiant et quantus utrorumque numerus sit, exacto iudicio examinatur“ Hultgren. l. l.

quatur. Tales versus Crinagoram non conformasse non mirum est, magis mirum neque exiguae artis indicium, quod ante bucolicam caesuram diligentissime omnem spondeum declinavit, id quod ne Callimachum quidem tam severe instituisse Meyerus testis est. Unum exemplum obstat, quo si codici fidem adiungere licet, eam legem exuit Crinagoras: ep. 29,1 λυρικῶν ἐν τεύχεϊ τῷδε. Sed in promptu est addita una hasta (ἐνὶ) normae satisfacere.[1])

Hoc de osteologia hexametri imprimis disputandum erat; iam nonnulla tractemus, quae cum hoc et insequenti capite coniunctionem habent et facillime ad caesuras disceptandas aditum nobis parient. Initium vero apte sumere possumus a *primo* Iliadis versu: Μῆνιν ἄειδε, θεά, Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος, quem quidem non omnes scient tres ob causas displicere debuisse posteriorum temporum poetis politioribus. Hi enim primum non secunda in sede dactylicum aut trochaicum ponunt verbum, quod in prima incipit, ut ἄειδε et versu quinto οἰωνοῖσι. Eam legem, quae ut Homero ita Hesiodo et subsequentibus poetis ignota erat, ab Alexandrinis, fortasse a *Callimacho* ipso, profectam esse Meyerus merito autumat. Hic enim in 1147 hexametris bis tantum eam violavit, qua severitate metrica Leonidam Tarentinum, Antipatrum Sidonium, alios in imitationem suam traxit (vide Meyeri observationes). His adiungendus est etiam *Crinagoras*, qui in centum triginta septem hexametris bis regulam migravit idque in uno eodemque epigrammate 18: v. 1 Ἠρνήσαντο καὶ ἄλλαι et v. 3 κληθείητε καὶ ὕμμες; at statim liquet hanc non esse veram exceptionem, immo rhetorico consilio, quod vel ex compari verborum positione apparet, duo exempla deberi. — Deinde in primi

---

[1]) Haud secus Crinagoras ut vel ei poetae qui alioquin laxiorem metricam rationem sequuntur (cf. Herm. Orph. p. 692 sqq.) vocabulum evitabat prima quarti pedis syllaba brevi finitum, unde elucet foede deformasse Boissonadium et Bothium et qui eis temere credidit Duebnerum primum versum epigrammatis 27, cum conicerent: *Ἄχρι τεῦ, ἆ δείλαιε, κεναῖσιν ἐπ' ἐλπίσι θυμέ;* scriptura *ἐπ' ἐλπίσι* (P) minime sollicitanda erat tali coniectura, quae omnibus regulis metricis repugnet (cf. p. 40).

Iliadis libri versu primo offendendum erat Alexandrinis, quod caesura semiquinaria exitu vocis iambicae θεά efficitur, quae primariae hexametri caesurae non minus impar est quam caesurae pentametri. Quo factum est, ut *Callimachus*, quem hanc quoque legem epico versui scripsisse Meyerus suspicatur, in 1147 hexametris ter decies, *Antipater* Sid. in 350 hexametris quater — haec quidem exempla certa sunt — iambum illi sedi insererent. Neque minus diligenter eum cavit *Crinagoras*, cum bis tantum regulam violaret ep. 34,5: οὐδὲ πέριξ et 20,5: τοιγὰρ ἔδυν. — Tertium autem, quod in Iliadis versu Alexandrinis arridere non potuisse Meyerus dicit, in ea re cernitur, quod caesurae et semiquinaria post θεά et seminonaria post Πηληϊάδεω in uno versu coniunctim positae sunt. Quam licentiam bis admisit *Callimachus*, nusquam *Leonidas* Tar. et uterque *Antipater*. *Crinagorae* duo laesae legis exempla leguntur: ep. 8,1, ubi quidem nomini proprio Ἥρη tam arte adhaeret enclitica τε, ut unius vocis instar sint, alterum in ep. 36,3, qui versus male traditus est, sed ἔπι cum antecedenti vocabulo in unum coire videtur. — Jam ut quae adhuc disputavimus, paucis complectar, Crinagoras in his Alexandrinorum regulis observandis unus omnium religiosissime versatus est summaque cum sollertia; unde coniecturam facere licet, quam frequenti et diligenti illorum carminum lectione[1]) imbutus sit. Atque ne quis *casui* eas, quas Meyerum secutus exhibui observationes metricas attribuat, recognoscat velim cum viro illo doctissimo Theocriti idyllia I, II, XI, XV, quorum in 545 hexametris primam legem undecies, secundam *tricies quinquies*, tertiam duodevicies violatas esse inveniet. — At res, quam ultimo loco persecuti sumus, iam propius accedit ad id caput, quod nunc tractaturi sumus

2. De caesuris hexametri.

Notum est nostra aetate controversiam ortam esse inter vv. dd., quae legitima esset Alexandrinorum caesura, bucolica

---

[1]) Vereor paene, ne putidum sit denuo monere illius studii residuum etiam exstare in ep. 41, minus certum in ep. 29 (cf. caput quartum).

an una ex tertii pedis incisionibus. Alii illam, alii has eo nomine nuncupaverunt. Sed utut est, nemo negabit primam legem Alexandrinos ut ceteros poetas sibi statuisse eam, ut *tertius* pes distingueretur incisionibus, praeterea eos maxime bucolicae caesurae favisse, quamquam haec nusquam *necessaria* esset. Etenim, ut recte vidit Meyerus, non oportebat caesuram semiquinariam una bucolica sublevari, cum *semiseptenaria* idem effici posset. Idem fere de Callimacho Kaibelius (l. l.) exponit, nisi quod hic vir doctissimus semper a bucolica caesura, non, ut par erat, a *tertii* pedis incisionibus proficiscitur, neque semiseptenaria non minus quam bucolica caesura penthemimerem fulciri posse perspexit. Attamen verum aliquatenus sensit, cum de Callimachi caesuris haec disputavit: „Penthemimere sola rarissime se continuit, cuius in epigrammatis nullum, pauca sunt in hymnis exempla neque ea subtili quodam artificio destituta. Ubique enim anapaestos subiungit, spondeum numquam nisi anaphora quaesitum“, ut bucolica caesura neglecta haec tantum forma evadat: –,⏑⏑–,. Contra Meyerus non tales anapaestos, sed caesuram semiseptenariam solam requiri dicit, etsi fortasse ipse concedet illis venustiorem speciem conciliari hexametris ea caesura distentis, quam si spondeus semiquinariam excipiat: –, – –,. Iam ad Crinagorae epigrammata animum attendentes facile percipiemus etiam caesuris quam elegantissime conformandis eum enixe operam dedisse. Recensuimus eius hexametros centum triginta septem, ex quibus octoginta unus incisione κατὰ τρίτον τροχαῖον ita succincti sunt, ut sex et quadraginta simul bucolica incidantur; quinquaginta sex semiquinariam exhibent caesuram, ex quibus *novem* tantummodo carent caesura bucolica. Omnes igitur hexametri Crinagorae in tertio pede singulas incisiones praebent, simul bucolicas caesuras, si omnes computamus, *nonaginta tres,* unde cognoscas etiam Crinagoram hanc caesuram (secundariam) in deliciis habuisse. Iam ad illos versus novem nos convertamus, qui penthemimere distenti bucolica caesura vacant. Sunt hi:

1. ep. 8,1: Ἥρη, Ἐληθυιῶν μήτηρ, Ἥρη τε τελέιη;
2. ep. 33,1: Οὐδ' ἢν Ὠκεανὸς πᾶσαν πλήμυραν ἐγείρῃ, quibus

de versibus iam antea dictum est; adde utrumque semiseptenaria distinctum esse a Crinagora.

3. ep. 41,3: ἀείδει δ' Ἑκάλης τε „Φιλοξείνοιο καλιήν";
4. ep. 42,1: Νῆσον τήν, εἴ καί με περιγράψαντες ἔχουσιν;
5. ep. 34,5: οἷσι γὰρ οὐδὲ πέριξ δρυτόμοι ἀπεφαιδρύναντο;
6. ep. 36,3: χαῖται δ' — οὐ μήλοις ἅτε που μαλακοὶ ἔπι μάλλοι —;
7. ep. 22,3: ἥρπασας, ὦ ἄλλιστ' Ἀΐδη· τί πρόωρον ἐφιεῖς;
8. ep. 23,5: ὀθνεῖοι καμάτους τοὺς σοὺς διεμοιρήσαντο;
9. ep. 18,5: παιδὶ γάρ, ὃν τύμβῳ δίης ὑπεθήκατε βώλου.

Tertium et quartum exemplum omittere debebam, siquidem voculis τε et με adhaerentibus caesura κ. τρ. τροχ. efficitur. In quinto, sexto, septimo exemplo offendere non potes, cum egregie molliantur anapaestis. Qua medela destituti leguntur soli ei hexametri, qui postremi recensiti sunt, ut tamen semiseptenaria caesura neuter careat. Atque etiamsi facillimum sit anapaestum in octavum hexametrum (ep. 23,5) inferre inverso verborum καμάτους τοὺς σοὺς ordine (scribere enim licet τοὺς σοὺς καμάτους, quod sensui non repugnat), tamen coniectura satius est abstinere, cum hoc carmen inter priora Crinagorea locum habeat. Aliter statuimus de ep. 18,5. Primum non praetermittere licet hoc epigramma, ad quod hexameter pertinet, referendum esse inter ea, quae venusta quadam incisionum arte exsplendescunt, sepulcralia illa quidem maximam partem. Excepto enim hoc ipso versu quinto omnes hexametri pari modo inciduntur et trochaica et bucolica caesuris. Idem observatur in epp. 15 et 1, quod falso inter erotica legitur; in ep. 14 autem omnes hexametri distinguuntur incisionibus semiquinaria et bucolica, quod idem cadit in epp. 39, 48, 49. Quo magis admirandum est carmen 18, quod alioquin haud inconcinne conditum est, hunc versum tam scabrum, tam non expolitum continere παιδὶ γάρ, ὃν τύμβῳ δίης ὑπεθήκατε βώλου, etiam exitu recedentem a politorum hexametrorum forma (cf. Kaibelii Philodemum). Alterum accedit idque non parvi taxandum. Iure enim Heckerus[1])

[1]) Idem v. d. et — quod nescivit — iam antea Geistius versu quarto proposuit Ὀξείαις, quod commendatur v. 7., ubi terra *σηματόεσσα*

monet epitheto σημᾳτόεσσα v. 7 (quo terra naufragorum sepulcris impleta dicitur) non convenire verba δίης βώλου v. 5. Praeterea durissime et vix recte dici Erotides tumulo terrae fecundae supposuisse puerum. Quare sibi persuasit hic nomina oblitterata esse domini, qui puerum sepeliendum curasset. Et lenissime se restituere arbitratur ὑπεθήκατο Βώλου, sed quo nomine filius Boli dictus fuerit, se ex δίης non posse elicere. Haec non suo iure asseverat v. d., cum insulae compellatae quasi homines ipsae puerum glebae suae (*pronomen* aegre sane desideramus) supposuisse dici possint, ut in titulo *Mytilenis* reperto (329 Kaib.), in quo uno eadem phrasis legitur, de Balbo dicitur: Τὴν κύνα Λεσβιακῇ βώλῳ ὑπεθήκατο Βάλβος. Itaque neque in nomine domini oblitterato offendo, neque in dictione singulari, sed in adiectivo solo δίης, cuius loco aliud exspectamus anapaestica mensura praeditum et offensione sensus vacuum. Cui desiderio Herwerdeni v. d. coniectura (Mnem. n. s. vol. XIV,4) tam egregie, tam simpliciter subvenit, ut nihil supra possit; ille enim ι littera post ω geminata[1]) scribit: παιδὶ γάρ, ὃν τύμβῳ ἰδίης ὑπεθήκατο βώλου. „Perfrequens est apud sequiores praesertim hic adi. ἴδιος usus, ut ponatur pro pronomine possessivo. Sententia: Puero enim quem vos propriae (vestrae) glebae tumulo supposuistis, nomen atque formam ipse dedit Amor.“

---

vocatur. Nam revera has maris Ionii insulas infames fuisse naufragiis apparet ex *Antipatri Thess.* ep. VII 639: *τί Κυκλάδας ἢ στενὸν Ἕλλης κῦμα καὶ Ὀξείας ἠλεὰ μεμφόμεθα;* Itaque hanc coniecturam speciosam et ingeniosam haud cunctanter in textu reponerem, nisi obstare videretur *Strabo* [l. 8 p. 351 ad 0,298 *ἔνθεν δ' αὖ νήσοισιν ἐπιπροέηκε θοῇσιν*] *Θοὰς δὲ εἴρηκε τὰς Ὀξείας, τῶν Ἐχινάδων δ' εἰσὶν αὗται κτλ.* et l. 10 p. 459: *καὶ αἱ Ὀξεῖαι καλούμεναι, ἃς ὁ ποιητὴς Θοὰς εἶπε.* Cum fieri non possit, ut, si modo insulae iam permutarant nomen, sic luserit poeta, Menippi amicus, aut suo Marte Homeri versum ita interpretatus est Strabo aut utroque loco *θοάς adjectivi* vicem idem obtinere voluerat non n. pr., aut cum Jacobsio scribere oportet: *ἐσσεῖται.* Controversiam transigant geographiae antiquae peritiores, nos interea inclinamus maxime ad sententiam medio loco propositam (v. notam).

[1]) Scriba etiam primum ι omisit.

Quam coniecturam si merito approbavimus, Crinagoras haud aliter ac ceteri poetae tersiores aut trochaicam caesuram bucolica saepissime vel potius plerumque assumpta ad hexametros adhibuit aut semiquinariam vel adiuncta bucolica caesura vel (rarissime) ita in versus intulit, ut anapaestus, nusquam fere spondeus, incisionem exciperet; saepius autem, uti diximus, omnes eiusdem epigrammatis hexametros eisdem caesuris exquisita quadam arte distinxit.

C. Prosodiaca.

1. De atticis correptionibus.

G. Hermannus, ubi epici versus historiam exponit, quamquam (p. 764. l. l.) iure cavendum esse dicit, ne multa quae excusari vulgo solerent, apud poetas elegiacos critici patienter ferrent, tamen si correptionum brevium syllabarum ante mutam cum liquida ratio haberetur, ipse concedit has aliquanto magis ab epigrammatariis praecipue quam ab epicis usurpari. Neque vero hoc esse cur miraremur, cum et brevia fere essent ista carmina et gravitate cederent epicis. Crinagoras undecies hanc licentiam sibi indulsit, nam duo exempla (ep. 45,3: Καίσαρα κλεινόν et 3,2: οἷα Προμηθείης) nominibus propriis excusantur. Cetera haec sunt:

ep. 1,1: τί σε πρῶτον; 2,4: οὐχ ὕπνον; 3,4: παῖς πατρὸς; 5,1: ἀγκυλόχειλος ἀκρόπτερον; 7,6: ἄγοιτε τριχός; 9,4: λέλογχε πέτρης; 19,1: ἤχλυσεν ἀκρέσπερος; 22,3: τί πρόωρον; 30,3: κατασπασθεῖσα κλύδωνι; 42,4: κάρπιμον ἀκροδρύου; 43,2: ἄπειμι χρόνον. Nusquam igitur in eis carminibus, quae posteriori Crinagorae aetati attribuimus, haec libertas usu venit. Nam quae invenitur in ep. 19,1, ut huic sententiae non adversatur, ita Geistii (Woltersii) non opitulatur. Contra quae leguntur in epp. 42 et 43 correptiones, cum nostra de tempore, quo ortae sint, opinione concinunt. Invitis membranis *Emperius* (Opuscula, in Adversariis ad Brunckii Analecta) in ep. 20,4 ἥ με πικρῇ coniciens hanc libertatem intulit neque alia ratione Jacobsius, cum ep. 24,2: ἔργα κρατεῖ, ep. 47,1: ἀεί σοι ἑδραῖος suspicatus est. Correctionibus exiguus ille correptionum numerus non erat augendus.

2. De hiatibus.

Multo minorem diligentiam quam in eis, quas adhuc adumbravimus, rebus Crinagoras in hiatibus vel evitandis vel adhibendis collocasse videtur, quod sane ut memorabile ita explicatu difficile est. Namque permagnus hiatuum numerus non modo legitimorum, sed etiam rariorum in ducentis septuaginta quattuor versibus Crinagoreis deprehenditur, quos in partes ab Jacobsio (l. l.) propositas distribuere haud ab re sit. Primos igitur recensebo ex hiatibus in longis syllabis obviis eos, qui ex interiectionis cum nomine concursu orti sunt. Ecce exempla ipsa: ep. 22,3: ὦ ἄλλιστ' Ἀΐδη; 32,1: ὦ ἐλεεινή. — Ex longae vocalis cum praepositione concursu, quae quidem in duobus exemplis extremis in anastrophe posita est, nati sunt hi hiatus: ep. 12,3: σῇ ἐπὶ μειδήσαντα (Jac. γ' inculcat; cf. notam); 14,5: κεῖμαι δ' ἐν ξείνῃ ὑπὸ χερμάδι; 23,3: ἢ ἐπὶ Νείλῳ; 30,5: πενίῃ ἀπελύσατο; 34,5: δρυτόμοι ἀπεφαιδρύναντο; 36,3: μαλακοὶ ἔπι μαλλοί; 36,5: τριτοκεῖ ἀνὰ πᾶν ἔτος[1]); 42,5: καὶ ὑπὸ μαίρῃ;[1]) 46,3: διωκομένῳ ὑπ' ἀήτῃ; 21,1: μόρῳ ἔπι; 42,8: τῷ ἔπ' ἐωρίσθην. — Unum exemplum n. pr. excusatur: ep. 46,1: μεγάλου Ἐνοσίχθονος. — Homeri auctoritas (sic Jac.) tuetur hos hiatus: ep. 25,1: μὴ εἴπῃς; 39,6: ἢ ἀγαθόν. — Contra qui extra hos ordines inveniuntur hiatus ab Jacobsio aliisque temptati sunt: ep. 1,5: Πρώτη σοὶ ὄνομ' ἔσκεν, ubi v. d. cum Hermanno γ' interposuit; 19, 1: καὶ δ' αὐτὴ ἤγλυσεν, quod antea mutatum Jac. in notis servandum esse dicit; δ' intericcimus ob aliam causam (cf. notam); 26,1: ἐπεὶ ἐφράσσατο, hoc enim cod. praebet, non ἐπεὶ τ'; 33,5: καὶ ἱεραὶ, Jac. ipse de coniectura sua: καὶ ῥ' ἱεραὶ dubitavit (cf. notam); 47,1: Εἰ καί σοι ἑδραῖος, quem hiatum transpositione effugere vult Jac., sed ita, ut ex fumo in ignem iverit (cf. p. 38); 51,5: καὶ ὁπόσαι τμηθέντος, quem hiatum exuebat idem v. d. ῥ' particula rursus arcessita.

Nos omnes horum versuum *ceteroquin minime corruptorum* correctiones abiciendas esse et Crinagoram in hac re non ad

---

[1]) frustra alter ab Hermanno (*τριτόκει᾽ ἀνά*), ab Jacobsio alter (*ἠδ' ὑπὸ* cf. p. 25) sublatus est.

Alexandrinorum, sed ad unum Homeri usum se applicasse arbitramur.[1])

Eo autem hiatu, qui ex .brevium syllabarum concursu originem ducit, poeta plane abstinuit, nam quod ep. 27,1 legitur in Pl.: κεναῖς ἐπὶ ἐλπίσι (ἐπ' ἐλπ. P), aptissime sic mutamus et emendamus, ut cum Jacobsio ἔτ' praepositioni praemittamus, quae particula omissa est etiam ep. 3,3: ἄεθλον ἔτ' ἐκ χερός.

3. De elisionibus.

Poetas posteriores in elisionibus usurpandis parcissimos fuisse et, si evitari non poterant, in eis quam maxime molliendis multam operam consumpsisse nemo est quin sciat. Id de Callimacho probe ostendit Benekius l. l. Hic poeta in epigrammatis (140 hexametros B. recognovit) quinquaginta tres elisiones admisit, sed praeter perpaucas non nisi in nominibus propriis, numeralibus, particulis, interiectionibus, pronominibus, quae *libera vocabula* Hilbergius nominat, abstinuit praeterea[2]) elisionibus fere post caesuras semiquinariam et trochaicam tertii et quarti pedis. Haud aliter Crinagoras, qui sexaginta omnino elisiones adhibuit, quas tabula hac indicabo adiectis numeris Callimacheis:

	I			II			III			IV			V			VI	
	—	⌣	⌣	—	⌣	⌣	—	⌣	⌣	—	⌣	⌣	—	⌣	⌣	—	⌣
Crin.	3	2	15	9	1	1	2	0	7	0	0	1	10	5	1	0	0
Call.	12	1	3	3	4	4	2?	0	5	2	0	0	10	4	4	0	1?

Itaque si exipias ep. 22,3: ἥρπασας, ὦ ἄλλιστ' Ἀΐδη et 8,3: ὠδῖνας νεύσαιτ' Ἀντωνίῃ, quibus nomen proprium excusationem parit, eisdem ac Callimachus sedibus evitavit elisionem; *nomina* autem et *verba* elisa inveniuntur haec: ep. 24,5: ἴδ' ὑπ' ἐχθροῖς; 27,3: ἄλλοις ἄλλ' ἐπ' ὄνειρα (ubi manifesto consilio rhetorico vocabulum repetitum est); 23,1: Ὦ δύστην' ὄλβοιο Φιλόστρατε (item). Si vera sit Mommseni sententia (cf. p. 21), etiam

---

[1]) Attamen in *posterioribus* carminibus etiam ab hac licentia multum recessisse videtur.

[2]) Hoc statuere demum potuit v. d. omnium nimirum Callimachi hexametrorum ratione ducta.

in posterioris aetatis epigrammate laxior haec elisio legatur. At quoquo modo res se habet, ex paucis his exemplis id discendum est non licere praeter necessitatem elisiones huius poetae versibus inculcare, quae nominibus aut verbis conformentur. Qua metrica potissimum ratione commotus ep. 48,5: μεῖζον non μείζον' legendum esse statuo, atque Hermanni coniectura, qua ep. 26,5: τριτόκει' legendum existimat, sponte diluitur. — In transcursu etiam monemus in pentametris aliam ut apud Callimachum sic apud Crinagoram elisionum rationem obtinere[1]).

4. De longarum vocalium et diphthongorum correptionibus.

Longarum vocalium et diphthongorum verbum a vocali incipiens praecedentium correptiones primus, quantum scio, *Kaibelius*, ubi de Philodemi ratione metrica disputationem instituit, tractavit primusque ostendit trochaicam correptionem (πλοῦς μοι ἐπ' Ἰταλίην) multo rarius iam a veteribus poetis elegiacis[2]) adhiberi quam dactylicam (στέλλομαι, ὧν ἤδη).

Etiam religiosius „elegantiores numerorum artifices trochaico hiatu" (immo correptione tr.) „versum interrumpere verebantur, cum dactylicum admitterent, sed certis quibusdam locis". Velut *Callimachus* (καὶ particulae correptione nimirum semper exclusa) in epigrammatum pentametris *nullum*, in hexametris *quattuor* (duo ante caes. buc., duo in pede primo) *dactylicae* correptionis exempla admisit. Ex successoribus eius non omnes tam severas sibi statuerunt leges. *Meleager* demum illius exemplum imitatus est, cum in epigrammatum (130) hexametros non nisi duodeviginti intulit dactylicas correptiones (quattuordecim ante c. b.), in pentametros etiam

---

[1]) Attamen inde quoque aliquid lucramur. Nam elisio qualis est *πρηεῖ' ἀσπασίῳ* (ep. 46,4) non condonari potest nisi *tironi poetae*.

[2]) Apud Callinum, Tyrtaeum, Archilochum, Mimnermum, Solonem in hexametris inveniuntur sec. *Kaibelium* quadraginta sex *dactylicarum* corr. exempla, ex quibus triginta quattuor ante caes. buc., in quinto pede septem, in primo quattuor, in tertio unum, nullum in secundo; in pentametris novem in priore, duodetriginta in posteriore parte; correptiones *trochaicae* omnino *novem*, ex quibus tres in pentametris.

pauciores, contra *unum* dumtaxat certum trochaicae correptionis exemplum (A P XII 53,3). Idem cadit in Antipatrum Sid., qui octo dactylicas correptiones sibi indulsit, trochaica plane abstinuit; idem in Philodemum quoque et in Apollonidam, aequalem *Crinagorae*. Hic vero in usu correptionum non sibi constitit, non aequabilem semper artem adhibuit; res certe digna est, in quam acrius inquiratur. Duo enim in genera epigrammata discedunt, si ad correptionum rationem discribuntur. Primum genus in eis consistit, quae plures et audaciores utriusque classis praebent correptiones, alterum in eis, quae aut nullam exhibent aut legitimas tantum et a politioribus quoque poetis frequentatas, correptiones dico ante caes. buc. Hoc discrimen aut *casui* attribuendum erit aut *processibus*, quos temporum progressu Crinagorae ars metrica fecit. Quae controversia dirimi fortasse poterit, si ea epigrammata, quae certis annis adstringere licet, comparabimus ex ratione correptionum: Epigramma in Corinthi libertinos scriptum (32: ca. a. *710*) cui primo clarum temporis indicium impressum esse statuimus, continet v. 3 dactylicam, v. 4 trochaicam correptionem; secundo loco posuimus carmen in Philostratum conditum (23: ca. a. *724*), item includens correptiones dactylicam (v. 2) et trochaicam (v. 1). Jam ante hoc pactum esse suspicati sumus ep. 43 *(intra a. 710 et 724)*, quod procul dubio omnium pessime habitum est, si ad correptiones spectamus, nam non minus *quinque* complectitur, in quibus duas trochaicas (vv. 1 et 4); rariorem praestat etiam ep. 46 (cf. p. 41[1], ad *idem iter* pertinens.[1]) Item ep. 41, *ante a. 729* scriptum, correptionem trochaicam exhibet. Praetermittendum non est praeterea ep. 34 (ca. a. *729*) in aquas Pyrenaeas, dactylicis duabus correptionibus instructum. Carmini autem in nuptias Cleopatrae iunioris (28: ante a. *734*) correptionem trochaicam poeta inseruit. Postremum in hac classe dicendum videtur epigramma in partum Antoniae scriptum (8: paucis ad summum annis *ante a. 743*), in quod tres correptiones dactylicas

---

[1]) epp. 42 et 47 vacua paene sunt ea licentia, quod sententiae nostrae de eorum tempore neque adversari neque adminiculari consentaneum est.

intulit, duas nominibus propriis, tertiam nullo modo excusatam. — *Nulla* autem aut legitima (ep. 24,5) continetur correptio his epigrammatis,[1]) quae ad temporum rationes digeram:

ep. 49 ad Tiberii expeditiones pertinens ca. a. *746* scriptum sit oportet;

epp. 26 et 45 Augusto regnante composita sunt;

ep. 44 fortasse a. *758* scriptum est (cf. notam);

ep. 24 a Mommseno a. *763* assignatum;

ep. 31 post a. *767* ortum esse demonstravimus;

ep. 33 a. *769* scriptum.

Recensuimus omnino duodeviginti epigrammata vacua correptionibus, sex singulis ante caes. buc., tria singulis in primo pede ideoque legitimis accincta, in summa viginti septem (*plus quam maior pars* omnium Crinagoreorum). Recte igitur in hac causa versabimur, si statuemus certum quendam terminum, unde maior metricae artis, correptiones si spectamus, observari coepta sit severitas. Quem terminum intra annos 740 et 746 pangendum esse ex eis, quae supra exposuimus, facile cognoscitur. Atque ut, quod contra hanc argumentationem dici possit, quodam modo occupem, haec addam: miram illam epigrammatum rationem explicare oportet sine dubio eum, qui non obtusa acie rerum causas investigare supersedeat, non satis habeat res ipsas protraxisse. Itaque uti diximus, nihil relinquitur nisi ut aut casui aut metricae artis progressibus attribuamus eam, quam adumbravimus, varietatem metricam. Variatio delectat procul dubio multis in rebus, neque tamen in arte metrica, quae non arbitrio cuiuslibet permittitur, sed aut certas quibus teneatur leges flagitat aut certam saltem rationem. Itaque si quis poeta correptionum leges omnino non respiciat, habeat sibi neque vero licet, non consentaneum certe aut verum est, eum in his epigrammatis correptiones diligenter evitare, illa passim eis conspergere. Haec non esset licentia poetica, quam non agnoscere piaculum fere est, sed mera libido, quam ego quidem assequi,

---

[1]) Ceteroquin — quod nolim praetereas — eadem expolita arte excellunt, si excipitur ep. 24.

cum qua luctari non possum. Statuimus autem supra Crinagoram partim versus rarissimis et audacissimis distinxisse correptionibus et trochaicis et dactylicis, partim versus vacuos ea licentia vel parcis et legitimis succinctos condidisse, neque tamen haec duo genera in epigrammatis temere permiscuisse, sed maiorem eorum partem posterius tantummodo genus versuum complecti, in minorem prius illud genus poetam congessisse. Deinde comprobare contendimus in hoc genere ea poemata sola locum habere, quae *ante* a. *743* scripta esse aliis argumentis ostendi potest, ea quae inde *ab hoc anno* in lucem prolata sunt, adscribenda esse alteri generi. Neque igitur temeritatis crimine implicari nobis videmur, cum circa hoc tempus mutationem illam incessisse dicimus. Neque abest coniectura, qua explicetur. Supra ostendere conati sumus Crinagoram si regulas a Meyero primo patefactas et illustratas, si caesuras et elisiones respicimus, totum se dedisse Alexandrinorum imitationi, maxime autem Callimachi poematis operam navasse, qui in omnibus epigrammatis non plus quam *quattuor* correptiones dactylicas sibi indulsit. Facile igitur fieri potuit, ut huius poetae studio commotus etiam correptionibus antea neglectis operam tribueret et pristinam, cui se addixerat, licentiam molliret atque adeo omnino exueret (cf. p. 38 ex., 40[1], 41[1]). — Quid autem ex metrica arte Crinagorae illum in modum mutata colligi licet? An omnia ea viginti septem epigrammata post hoc tempus scripta esse? Minime, id unum iure concludimus ex hac carminum ratione epigrammata audacioribus correptionibus instructa collocanda esse ante terminum illum. Sed ne haec quidem exigua sane summa eorum, quae elaboravimus in ea re perscrutanda, plane spernenda est, immo aliquem certe fructum ad tempora epigrammatum excutienda inde capere licet.

Pauca id genus afferre haud pigebit. In prima harum quaestionum parte, cum de ep. 48 disputavimus, probabiliter, neque tamen liquido statuere potuimus, quo potissimum imperatore carmen conditum esset. Nunc epigramma, cum duabus correptionibus distinguatur, *non dubitanter* ad priora Augusti tempora referemus. Item coniecturae quam de ep.

36 Schneiderus periclitatus est (ad expeditionem *Tiberii* a. *734* susceptam id revocandum esse) cum tres contineat correptiones, ex quibus unam trochaicam in pent., metrica ratio non resistet, ut tamen aliis de causis num verisimilis sit, magnopere dubitem. Idem dicendum est de ea suspicione, qua Reiskius assentiente Geistio virginem, quae in pulcherrimo ep. 12 natalem diem celebrare dicitur, *Antoniam* minorem esse obtinet: correptiones eam adiuvant, probabilitas non item; idem de ea, qua idem v. d. ep. 15 ad unum ex eis militibus spectare putat, qui ab Augusto adversus Cantabros in Hispaniam ducebantur a. *729*, etiamsi non prorsus abicienda sit (cf. p. 15.). Contra neque ratio metrica[1]) neque argumentum opitulantur alii eiusdem Reiskii sententiae a Geistio probatae, qua ep. 5 ad *Lucium* Caesarem pertinere conicit, natum demum a. 737. Geistii (Woltersii) autem de ep. 19 opinioni ab hac parte non obicitur ulla difficultas, item, quae nos de *Niciae* aetate disputavimus, iam correptione (ep. 25,3) non legitima fulcire possumus. In nota denique epigrammati 40 subiunctae ostendemus non recte v. 2 γράψαι Porsonum coniecisse in poemate non paucis annis post a. *732/3*, ut videtur, concinnato. — Omnium vero pessime comparatum esset, si Crinagorae vindicari posset, ep. 6, cuius versus primus praeterea solus omnium, quamquam semiquinaria caesura instructus est, in monosyllabum et bisyllabum vocabulum desineret. Et correptiones quidem praeter unam dactylicam ante caes. buc. (v. 3) singulas continet in pentametri priore (v. 6) et posteriore parte (v. 2), duas praeterea trochaicas (vv. 1 et 3). Nullo modo haec offensio mollitur, ut factum esse videmus in ep. 43, caesurarum ratione, cum tertius tantummodo versus caesuram bucolicam admixtam exhibeat trochaicae, ceteri omnes trochaicis solis incidantur. Etiam sensum epigrammatis multis vitiis laborare, intellegent qui Jacobsii notas perlegerint, ea sanare vel potius perlustrare non est huius loci. Ut tamen ab epigrammate rimando nondum recedamus, facit caput, quod iam tractandum nobis proposuimus.

[1]) Duae insunt correptiones, altera trochaica in pentametro.

IV.

De Crinagorae epigrammatis et singulis versibus suppositiciis eorumque auctoribus.

Etiamsi hoc loco in epigrammate 6 emendando tempus et operam conterere in animo nobis non sit, tamen ad rem pertinere videtur ad ultimum distichon animum attendere. Gravius enim ulcus in eo delitescere primus notavit Geistius. Namque bellaria ea quae Philoxenides Pani et Priapo suspenderet, non ut voce ἀντίθεται flagitaretur (v. 8), quarto in casu, sed primo posita esse, neque placere haec lauta (δαψιλῆ v. 6) cuppedia v. 8 λιτὴν δαῖτα nominari. Ne id quidem adoptari posse, quod fortasse quis probaret, alteram praesto esse structuram, cum v. 6 praedicati vices obtineret et a versu 7 novum inciperet enuntiatum[1]). Ad coniecturas sine dubio relegare eum oportet, qui expeditum et integrum carmen manibus terere cupit, non truncatum et vitiis deformatum. Sed quam Geistius ipse procudit, ne multis non arrideat[2]), valde vereor. Duo enim in unum conglutinata esse epigrammata suspicatur, ita ut priores sex versus Crinagorae carmen exitu mutilatum, postremum distichon integrum antiquioris cuiusdam poetae epigramma repraesentarent. Cui coniecturae cum alia multa, tum id resistit, quod carmen depromptum est ex longiore Philippeae coronae fragmento ab A P VI ep. 227 (ἀργύφεον) incipiente terminato ep. 261 (χάλκεον). Cum hoc ordine alphabetico non conveniret, carmen a verbo Πανὶ exordiens post Crinagoreum Βότρυες, qua re de coniectura aliquantum certe detrahitur. Quaeritur igitur, num

---

[1]) Quid tandem Baehrius l. l. huic disticho facere velit, non plane enucleavi, dicit enim haec: „Lassen sich nicht die 5 ersten Verse mit der Apposition im 6. als eine Anrede auffassen, entnommen etwa (?) einem Gedichte des Krinagoras, wozu dann als Schluss oder gewissermassen als Inschr. v. 7 und 8 dient?“

[2]) Quamquam probatur Stollio l. l. et Duebnero. Hic Geistii rationes comprobat, quas ne recte quidem assequitur, minime enim ille initium alterius poematii desiderari, sed hoc integrum esse dixerat.

alia medela praesto sit, ad quam decurrere possimus. Suo sane iure Geistius denegat fieri posse, ut illa bellaria cum ἀντίθεται coniungantur, quae iunctura nusquam reperitur. Epigramma quidem Leonidae Tarentini A P VI 205, ubi donaria item primo casu posita dependere videntur ex voce θήκατο (v. 10), habet, quo levigetur. Namque ut mittam licere primo versu verbum substantivum supplere, fabri instrumentis enumeratis verbo θήκατο praemissa sunt v. 9 et pronomen ἃ et particula δή, quibus interpositis poeta omni offensioni subvenisse videtur. Tale quid etiam in hoc epigrammate exspectamus; idque quo verbo nunc obruatur, ex altera discimus difficultate, quam ultimum distichon complectitur. Neque enim viri docti quae vis et discrimen esset epithetorum φιλοσκήπων et εὐστόρθυγξ, satis explorate dispexerunt. De pedo pastorali Jacobsius cogitavit, quo Pan instructus esset, cum εὐστ. Brunckium secutus ad Priapum revocaret „coleata cuspide pulcre peculiatum“. Uterque num recte statuisset, iure dubitatum est; Heckerus pro φιλοσκήπωνι aliud vocabulum exspectat ad Panem magis conveniens velut φιλοπρηῶνι sive φιλοσπήλυγγι, εὐστόρθυγγι autem de dei cornibus accipit. Rectum vidit meo arbitratu Dielsius cum nisi de „porrecto palo“ (Hor. s. I 8,5; Priap. 25 alia) cogitaremus, epitheton, quod est φιλοσκήπων, explicari neguire, εὐστόρθυγξ autem ad truncum spectare adnotavit. Sic in ep. VI 22,5 ἀγροιώτῃ μονοστόρθυγγι Πριήπῳ primitiae consecrantur. Quo epigrammate collato bellaria illa facile apparet quam apte Priapo soli offerantur; quocum Pan in hoc uno poemate coniunctus legitur. Cum praeterea quae insequuntur verba suo quodque loco (nam sine causa Geistius offendit in λιτὴν δαῖτα) posita sint, in primo distichi verbo corruptelam delitescere Dielsio facile credemus, qui Πανὶ ex Πάντα (sriptum scilicet olim Παν ÷) ortum esse suspicatur. Voce autem πάντα quae enumerata sunt cupedia commode comprehenduntur, ut nulla iam exsistat grammatica aut sensus difficultas. Hac ratione etsi Geistii scrupulis satis subventum est, tamen alia restant, quae totum carmen suadeant Crinagorae ut abiudicemus. Ut mittam metrum, de quo iam p. 45 dictum est, et ἰδὲ particulam, de qua p. 25,

et formam doricam (v. 7) Πριάπῳ, et quod praeterea nullum similis argumenti Crinagorae epigramma a Philippo in coronam receptum est et quod omnino haec artificiosa rerum descriptio a poetae indole paulum abhorrere videtur,[1]) gravior exstat causa. Eiusdem enim Philoxenidis, *Pani* statuam ponentis, epigramma fertur Philippi VI 99, id quod casui nemo tribuet, nec de imitatione[2]) cogitari potest, cum nomen tantum, non argumentum utrique commune sit[3]). Praeterea Philippus multus erat in hoc poematum genere, ubi praeter ceteros floret — si hoc est florere — rerum tenuiorum diligenti et morosa descriptione. Consimilis argumenti est VI 102, ubi bellaria φιλοδίτῃ Πριήπῳ sacrantur. Eadem putida diligentia laudem poeticam aucupatur epp. 90, 92, 101, 103, 104 aliis. Accedit, quod eiusdem Philippi carmen Pseudocrinagoreum praecedit, ut facillime nomen Crinagorae pro Philippo in textum irrepere potuerit ei scribae, qui omnino in hoc epigrammate describendo negligentissime grassatus est.[4])

Alterum harum corruptelarum, quibus nomen auctoris adulteratum est, exemplum praestat ep. 16, quod in eundem Eunicidam scriptum est, quem Crinagoras carmine 17 exagitavit. Heckerus (comment. crit. in A. G. pars I), qui vir doctissimus iuvenili quodam ardore et impetu demonstrare studet Anthologiam „pro dimidiata parte corpus inscriptionum esse, quod integras exhiberet inscriptiones non mutilatas aut detritas tempestate", fusius de utroque epigrammate disputat p. 11. Proficiscitur v. d. ab eis epigrammatis, quae scripta essent ita, ut lapidi insculpta fuisse videri possent. Jam an-

[1]) Cf. praeterea infra notam ad ep. 42,5 de particulis appositam.

[2]) Nam non pauca Philippi epigrammata ex aliis expressa sunt, cf. epp. 22 et 102, VII 141 et 385, 408 (cf. 71, 4. 5) et 405, XI 322 atque append. 35 et XI 321 atque 347 alia, v. Menkii diss. „de A P epp. sepulcralibus" (Marb. 1884) p. 16.

[3]) Cum nomine etiam argnmentum Diodorus Zonas VI 106 deprompsit ex Leonidae epigrammate VI 35 (cf. VII 173 et 174, 190 et 364, 273 et 395 [v. etiam 392], 163 et 164, 233 et 234, 550 et 289).

[4]) Posteaquam haec disserui, ex Stadtmuelleri collatione intellexi ei opinioni vel traditionem ansam praebere, cum quattuor priores auctoris nominis litterae *Κριν* in rasura positae sint, v. infra ad ep. 37.

tiquiores enim epigrammatarios carminibus, quibus virorum fama nobilium, sed diu mortuorum memoriam celebrarent, inscriptionum formam dedisse. Ad eandem inscriptionum normam conscripta legi aliquot parva carmina σκωπτικά sive potius λοίδορα dicenda, quibus etiam antiquissimi poetae inimicos petisse viderentur (cf. A P VII 348 Simonidis; VI 293 et 298 et 305 Leonidae Tarentini; XIII 21 Theodoridae). Eidem igitur generi — hoc v. d. assentiri non dubitamus — adscribendum est Crinagorae epigramma in Eunicidam scriptum, ardore quodam nativo conspicuum. Gravissimis verbis inimicum „diris devovet“ maximisque probris proscindit. Ne in hoc quidem impetu suam indolem suamque versus pangendi rationem dissimulare potest Crinagoras; nova et rara permulta invexit verba, quorum callida compositione et iunctura doctrinam suam ante oculos ponit. Affero δύσβωλον χθόνα, στέρνα ἐποκριόεντα, ὀδόντων πρίονα (de serie dentium), κώλων δούλιον οἰοπέδην, ἡμιπύρωτα λείψανα, ἀνδρὸς κακοσκηνεῦς. Ultimus autem versus in memoriam nobis reducit ep. 18,8

παιδὶ σὺ μὲν κούφη κεῖσο, σὺ δ'ἡσυχίῃ,

Quo quidem cum carmine Crinagorae ita sine dubio Heckerus coniungere vult ep. 16, ut utrique eiusdem cippi tumulo impositi lateri epigrammata inscripta essent. Quod ego non negarim fieri potuisse; immo concedo non raro etiam illud accidisse, ut his epigrammatis diversum metrum tribueretur, iambicum et elegiacum, id quod demonstratur optime epigrammatis C J G 6239, 6298, 6745, item A P VII 334 et 335. Aliter autem res se habet in carminibus illis 17 et 16. Nam ut non dicam mirum esse aliquem poetam irrisoria carmina vel eatenus ad verarum inscriptionum normam concinnata finxisse, ut „lapidem ad excipienda carmina elegiaca angustiorem esse“ simularet, hoc igitur ut mittam, postulandum tamen videtur, ut consilium aliquod ista iteratione epigrammatis, quod vitam ut Crinagorea pleraque, non speciem vitae refert, assequi voluerit poeta neve merum ludum repraesentet. At certum rei ab eodem poeta retractatae consilium me quidem prorsus effugit. Quid enim novi affertur, quid non tumuli descriptione excepta iam novimus et novimus

fortius et aptius elatum? Porro exitus epigrammatis mihi cum Reiskio nimium languidus et exilis videtur esse, τῶλιγηπελὲς[1]) ῥάκος ut ζοφώδης νέκυς (v. 5) vix feliciter inventa, σήπεται autem ὑπὸ σποδῷ male expressa ex Crinagorae λείψαν' ἔτι χλωρῆς ἔμπλεα τηκεδόνος. De nominum diversa forma iam disseruimus p. 27, nihil ineptius et ab iambico metro magis alienum quam formam epicam exitus Εὐνικίδαο ex Εὐνικίδεω effictam cogitari posse atque hoc corruptum imitatoris scilicet iudicium prodere Kirchhoffius me docuit. Prolatis his certis imitationis indiciis, quibus etiam Geistii de metro et universo carminis stilo dubitationes adicere possum, iam transactum esse videri potest critici officium. Restat autem quaestio non levi bracchio agenda de vero epigrammatis auctore, quam eo libentius aggredimur, quod sic occasionem nanciscimur de circulo poetarum Crinagorae aequalium pauca disserendi. Veri autem auctoris vestigia si non liquido detegere, at tamem aliquatenus odorari licet. In qua re aliquantulum eo adiuvamur, quod ep. 16 cum in eadem serie alphabetica, qua ep. 17, legatur, ab illius temporis poeta scriptum sit oportet. Propius ad verum accedimus ratione habita phrasis, singularis certe et notabilis

οὐκ ἀνδρὸς ἐσθλοῦ (sc. τὸ σῆμα)· μὴ λίθῳ τεκμαίρεο,
ὦ λῷστε, τὸν θανόντα · κωφὸν ἡ λίθος.[2])

Quae locutio, ut iam Jacobsius animadvertit, apud aequalem Crinagorae poetam, Antipatrum Thess., quamquam diverso sensu adhibita, obviam fit A P VII 18 (in Alcmanis tumulum)

Ἀνέρα μὴ πέτρῃ τεκμαίρεο. Λιτὸς ὁ τύμβος
ὀφθῆναι · μεγάλου δ' ὀστέα φωτὸς ἔχει.[3])

Neque usquam alibi invenitur, etsi comparari potest Diodori Tarsensis eisdem temporibus adiuncti (Strab. p. 675) epigramma venustum A P VII 235

---

[1]) *τουλιγηπελὲς* Crinagoram scripturum fuisse iure annotat Geistius. Ex dictione *ἀσυνδέτῳ* quae vocatur nihil sequitur, quo haec opinio confirmetur, eadem invenitur in ep. 14.

[2]) *Κωφὸν* Ant. Thess. *σῆμα* appellat etiam ep. VII 287, 3; cf. notam.

[3]) Similis sententia inest in eiusdem epigrammatis VII 236, 136, 629.

Μὴ μέτρει Μάγνητι τὸ πηλίκον οὔνομα τύμβῳ,
μηδὲ Θεμιστοκλέους ἔργα σε λανθανέτω.
τεκμαίρου Σαλαμῖνι καὶ ὁλκάσι τὸν φιλόπατριν·
γνώσῃ δ' ἐκ τούτων μείζονα Κεκροπίης.[1])

quod an Antipatro ante oculos obversatum sit, dubitari licet. Neque enim in controversia positum est, quin Graeculus hic, qui — id quod coniecturam adminiculat — complura composuit iambica epigrammata (cf. VII 390, quod ipsum quoque structuram ἀσύνδετον suppeditat — Thessalonicensis, id esse alphabetica serie docemur — et 692), permulta ex aliis poematis imitatione expresserit. Cuius vestigia quaedam persecutus est Kaibelius Cl. l. l., ut ep. A Pl. 305 „in debilem et obtusam speciem redegit venustam Sidonii artem, quam reperimus in carmine A P VII 34“ ad eundem Pindarum pertinente, item secundum Weigandium[2]) A P VII 398 expressum est ex Leonidae ep. VII 660 (cf. VII 743 et 224 et 484, IX 112 et VII 157). Neque modo superiorum poemata Ant. Thess.[3]) in usum suum convertit, ne aequalium quidem epigrammata neglexit, ut mox Crinagorae exemplo demonstrabimus. Nihilo minus Antipater aetate, ut videtur, non ita multo inferior Crinagora non parum se ipse suspiciebat, immo poematis suis maxime superbiebat, si coniecturam capere licet ex epigrammate non omni acumine destituto A P XI 20

Φεύγεθ' ὅσοι „λόκκας“ ἢ „λοφνίδας“ ἢ „καμασῆνας“
ᾄδετε, ποιητῶν φῦλον ἀκονθολόγων,
οἵ τ' ἐπέων κόσμον λελυγισμένον ἀσκήσαντες
κρήνης ἐξ ἱερῆς πίνετε λιτὸν ὕδωρ·
σήμερον Ἀρχιλόχοιο καὶ ἄρσενος ἦμαρ Ὁμήρου
σπένδομεν· ὁ κρητὴρ οὐ δέχεθ' ὑδροπότας.

Poeta Homero et Archilocho sacra facturus acriter invehitur in Callimacheos, „versificatores ieiunos,“ in senticetis

---

[1]) In comparationem vocare possumus etiam carmen anonymi VII 137

Μή με τάφῳ σύγκρινε τὸν Ἕκτορα, μηδ' ἐπὶ τύμβῳ
μέτρει τὸν πάσης Ἑλλάδος ἀντίπαλον.

[2]) De Antipatris Sid. et Thess. poett. epigrr. a. 1840. Diss.

[3]) De Sidonii imitationibus v. Weigand. p. 48.

versantes glossarum (cf. Antiphanis A P XI 322).[1]) Confitendum sane est hunc poetam, etiamsi permulta de triviis sumpta frigide tractaverit, tamen non obscuritatem et verborum callidas iuncturas affectasse atque adeo ligurrivisse, sed saepenumero eminere nativa quadam oratione.[2]) Similiter atque Crinagoras Antipater non raro epigrammata sua munusculis addidit, codicibus et id genus aliis, neque vero ut ille libris aliorum, quorum in fronte exarata legebantur, poetarum, sed suis ipsius carminibus. Id enim colligere possumus et ex epigrammate A P IX 93, quo cum Pisoni natalem diem agenti versiculos dicat, βίβλον μικρήν, quam una nocte elaborasset, ut boni consulat parvum hoc munusculum, patronum

---

[1]) Haec epigrammata litteraria, „quod genus ex iudiciis Alexandrinorum (Aristophanis?) pendet totum“, praeterque ea eiusdem Antipatri A P VII 409 (non recte a Weigandio et Mencio ad Sidonium relatum) et anonymi IX 190 Diltheyius (De Callimachi Cydippa p. 13 sqq.) adhibuit ad thesim suam comprobandam de Callimacho Homeri si non obtrectatore, at certe admiratore frigidissimo. Cyrenensi poetae iure dicit vir ille doctissimus Antipatrum tecte adversari (quamquam multo fidentius haec obtinere potuit, si respexisset eiusdem Antipatri epp. XI 24 *πιεῖν παρὰ τοῦδε κύπελλον* [sc. *Αὔσονος Βάκχου*] *ἓν μόνον ἢ παρὰ σεῦ* [*Ἑλικῶνος*] *χίλια Πηγασίδος* et XI 31 ... *ταρβέω καὶ μύθων μνήμονας ὑδροπότας*, quae tam manifestam poetarum *fonte labra proluentium caballino* et fabulas ibi acceptas referentium continent cavillationem, vel ut mireris in editione Parisina, in qua iam desinas quidquam demirari, haec non recte explicata esse). Hic enim non erat ex *Καλλιμάχου πρόχυσιν*, ex *ὑδροπόταις* illis, qui *κρήνης ἐξ ἱερῆς* (in Helicone scil. et Parnasso) *aquam* entheam (*λιτὸν ὕδωρ*) bibebant, qui „sermonis cultum delicatum et quasi enervem“ (*λελυγισμένον*) adamabant, qui Homerum et popularia argumenta (XII 43) aversati laudabant Erinnae parvum, sed doctum poema. Inde patet recte fecisse, qui ep. VII 713 de Erinnae laudibus Sidonio attribuerunt, et recte facere nos, qui ep. VII 531 ab Ant. Thess. imitatione expressum esse dicimus ex Erycii Cyziceni ep. VII 230 (cf. Tymnae VII 433), etsi idem Erycius composuit ep. VII 377 in Parthenium, homeromastigem. Hic enim secundum Diltheyium fuit Parthenius ille *Nicaenus*, qui Callimachi sectator ultra huius iudicium evagatus esset, non grammaticus saeculi secundi. Secundum Parthenium igitur Hadrianus iudicabat *Ὅμηρον καταλύων* Dion. 69, 4 (cf. Kaib. ep. 1089).

[2]) Hoc comprobatur luculenter parvo *ἅπαξ λεγομένων* numero (10 sec. Weig.), parvo dico, si cum *Callimachei* (v. pp. 34 et 44) Crinagorae epigrammatum minore, *ἅ. λλ.* multo maiore numero (28) comparatur.

suum blande rogat. Eidem Pisoni miserat cum epigrammate IX 428 carmen quoddam *epicum* de bello Bessico, quod perisse magis fortasse historici quam philologi dolebunt. Etiam principem, Jacobsium si audimus, carminibus adiit, cf. A P X 25

καὶ τὸν ἐμὸν βασιλῆα τὸν ἄλκιμον εὖ μεν ἐκείνῳ
ἵλαον, εὖ δ' ὕμνοις ἄρτισον ἡμετέροις.[1])

Ad haec epigrammata illustranda facit etiam A P IX 92 non inficete compositum, quo se illustri cuidam viro (Pisoni ?) beneficia relaturum esse promittit

τοὔνεκα σοὶ πρώτως μὲν ἀμείβομαι· ἢν δ' ἐθέλωσιν
Μοῖραι, πολλάκι μοι κείσεαι ἐν σελίσιν.

Neque solum propter Antipatrum Thess. carmina illa protuli, sed etiam, ut intelligeretur neque opus esse neque consentaneum Crinagoram, Parthenii amicum, epigrammatographum tantummodo animo informare. Sed initum cursum teneamus necesse est. Antipater Thess. utique in circulo Graecorum poetarum non mediocri auctoritate florebat, quandoquidem ab uno ex istis poetis, Alpheum dico Mytilenaeum, Antipatri epigramma citatur et refutatur. Hic enim Delum insulam olim (i. e. ante bellum Mithridaticum) florentissimam de vastatione conquerentem fecerat sic (IX 408)

Εἴθε με παντοίοισιν ἔτι πλάζεσθαι ἀήταις
ἢ Λητοῖ στῆναι μαῖαν ἀλωομένῃ·
οὐκ ἂν χητοσύνην τόσον ἔστενον. οἲ ἐμὲ δειλήν.

Quibus Alpheus respondet IX 100, 3

οὔ νύ σε δειλαίην, μὰ τέους, δέσποινα, βοήσω,
δαίμονας, οὐδὲ λόγοις ἕψομαι Ἀντιπάτρου.

Enimvero argumenta si spectamus, Antipater eadem fere, quae ceteri epigrammatistae, tractavit; nullius omnino aetatis

---

[1]) Si ex imperatoribus intellegendus esset unus, hic esset Augustus; sed verba *τὸν ἐμὸν βασιλῆα* hanc interpretationem prorsus excludunt, immo ad Thraciae regem quendam nos perducunt. Talem autem suppeditat A Pl. 75, quamobrem Cotyn. a poeta significari et Planudeum epigramma huic Antipatro assignandum esse contendo. Cf. Momms. R. G. V p. 192. Iter illud cum post a. 743 factum sit, inde fortasse explicatur Dionis error l. 54, 34; v. Momms. mon. Ancyr. p. 165

poetae tantam similitudinem prae se ferunt, quantam Graeci, qui Augusti et Tiberii temporibus epigrammata scripserunt. Nonnulla genera attulisse et illustrasse hoc loco non pigebit. In oculis praecipue erant his poetis, ut omittam epigrammata in antiquos homines nobiles, insignia mortis genera, quorum novitate et atrocitate quasi certasse inter se videntur (cf. *Crinagorae* epp. 30 et 21; haec pauca sunt prae aliorum magno numero huiusmodi poematum); epigrammata in histriones, pantomimos, athletas (cf. Crin. epp. 35, 38 [40]; Ant. Thess. A Pl. IV 290, A P IX 266, VII 692, VI 256. Boethi IX 248), insularum descriptiones (cf. Crin. epp. 42 et 18; Ant. Thess. IX 550[1]), 421, 408; Alphei Myt. IX 100; Antiphili Byz. IX 413 — nomen versibus ipsis occultatur similiter atque in Crinagorae ep. 42, v. p. 10 — et 178); in urbes deletas et desertas, cui generi praelusit quodam modo Crinagoras epigrammatis 32 in Corinthum scripti versibus 3 et 4

αὐτίκα καιγείρης (?) χθαμαλωτέρη εἶθε, Κόρινθε,
κεῖσθαι καὶ Λιβυκῆς ψάμμου ἐρημοτέρη,

ad horum enim versuum similitudinem[2]) videntur effìcti esse Alphei Mytilenaei ep. IX 101, vv. 2 et 4

[Ἡρώων . . ἔτι λοιπαὶ] πατρίδες οὐ πολλῷ γ' αἰπύτεραι πεδίων
. . . *αἰπολίου παντὸς ἐρημοτέρην (de Mycenis, apud Planudem hoc epigr. *Antipatro* Thess. inscribitur). Eiusdem Alphei ep. IX 104 de Troia rediviva,[3]); *Pompei* Junioris ep. IX 28[4]); *Mundi Munatii*, item Philippicae coronae poetae,

---

[1]) Huic Antipatro epigramma fidenter inscribo, eidem epp. 421 et 408, quae ex Philippicae coronae fragmento deprompta sunt (IX 403—423).

[2]) De eiusmodi sententiis, quae a poeta quodam aut sua sponte ortae omnibus fere notae erant, disputavit Mencius p. 8 sqq.

[3]) A Julio Caesare et Augusto Strabo tradit Troianos agro et libertate donatos esse; cf. etiam Hadriani (vel Germanici) ep. IX 387.

[4]) Quod miror ab eis qui de *Macro Ovidiano* quaesiverunt non assumptum esse, optime enim auctor epigrammatis de *Mycenis* vetustate confectis convenire mihi videtur cum Macro illo, quem Ovidius Iliacum (Pont. 4, 16,6; cf. Am. 2, 18,1; Pont. 2, 10,13) nominat, quem eundem fuisse coniecerunt atque Pompeium Macrum, Theophanis filium (nepotem ?).

epigramma de eisdem Mycenis IX 103; *Ant. Thess.*[1]) ep. de Amphipoli olim deleta VII 705; *Bianoris* de Sardibus terrae motu dirutis ep. IX 423 ad idem genus spectant[2]).

Longius verum aberrare a proposito non licebit, redeamus igitur ad Antipatrum, quem ut superiorum, ita aequalium poetarum epigrammata hic illic adhibuisse diximus, id quod Crinagorae exemplo probaretur. Huius enim epigrammata Antipatrum lectitasse et imitatum esse mirum nemini videbitur, quamquam non semper certum est, uter utrum secutus sit. Apponam quae repperi exempla plus minusve certa:
In ep. 45 Crinagoras psittacum, qui Caesarem celebrare aves docuisset Orpheo opponit his versibus

7 Ὀρφεὺς θῆρας ἔπεισεν ἐν οὔρεσι· χαῖρε δὲ Καῖσαρ[3])
νῦν ἀκέλευστος πᾶς ὄρνις ἀνακρέκεται.

Similiter de Glaphyro tibicine Ant. Thess. A P IX 517, 1[4])

Ὀρφεὺς θῆρας ἔπειθε, σὺ δ' Ὀρφέα.

In ep. 7 Crinagoras vota facit pro fratre Euclide primam deponente barbam, quam sententiam sic effert

3 τοῖσι γὰρ οὑμὸς ὅμαιμος ἐτ' ἄχνοος εὔξατο θήσειν
τὸ πρῶτον γενύων ἠϊθέοισιν ἔαρ[5]).
δαίμονες ἀλλὰ δέχοισθε[6]) καὶ αὐτίκα τῶνδ' ἀπ' ἰούλων
Εὐκλείδην πολιῆς ἄχρις ἄγοιτε τριχός.

---

[1]) Huic tribuendum est, et quod epigrammata inde a 699 usque ad 704 Philippicis poetis debentur (cf. Weigand M. Rh. vol. 3 n. s. p. 542) et quod Amphipolim deflere potius Thessalonicensem quam Sidonium decebat; praeterea illius indolem ipsum epigramma prodit. Idem dici debet de ep. 625, cf. Menc. p. 45.

[2]) cf. etiam quae infra ad ep. 31,5 et ep. 32, 1 et 2 de elocutione horum poetarum exposuimus.

[3]) Ex Kirchhoffii coniectura probali.

[4]) Hunc consensum Herwerdenum non fugisse intelligo ex Mnem. vol. 14, 4. De nominis lusu in Ant. v. 3 cf. Kaib. 640, 4.

[5]) Eam lanuginem Apollonidas (A P X 19) *Ἡδὺ παρειάων πρῶτον θέρος*, anonymus (VII 334, 11) *κούριμον ἄνθος ἡλικίης ἐρατῆς* nominat.

[6]) Haec Sabinus imitatus est VI 158 *δαίμονες ἀλλὰ δέχοισθε κεχαρμένοι*; unde probabile fit hunc poetam ad coronam Phil. pertinere et ep. IX 410 (cf. 86) quoque condidisse; pleniorem disputationem alii loco reservamus.

Idem fere Ant. Thess. Lyconi optat barbam, γενύων ἄρσενας ἀγλαΐας, Phoebo ut πρῶτον γέρας offerenti, A P VI 198

εὔξατο δ' οὕτως
καὶ πολιὴν λευκῶν κεῖραι ἀπὸ κροτάφων.
τοίην ἀλλ' ἐπίνευε, τίθει δέ μιν, ὡς πρό γε τοῖον,
ὧς αὖτις πολιῷ γήραϊ νιφόμενον.

In Arch. Rom. Dionysius Hal. cum Jovis cognomen latinum *Feretrii* popularibus suis explicare studet, haec memoriae prodit (2, 34) Τὸν δὲ Δία, τὸν Φερέτριον, ᾧ τὰ ὅπλα ὁ Ῥωμύλος ἀνέθηκεν, εἴτε βούλεταί τις Τροπαιοῦχον εἴτε Σκυλοφόρον καλεῖν, ὡς ἀξιοῦσίν τινες, εἴθ' ὅτι πάντων ὑπερέχει καὶ πᾶσαν ἐν κύκλῳ περιείληφε τὴν τῶν ὄντων φύσιν τε καὶ κίνησιν, Ὑπερφερέτην, οὐχ ἁμαρτήσει τῆς ἀληθείας. Nullo alio loco, id quod etiam Suidas s. v. σκῦλα agnoscere videtur, cum dicit καὶ ἐν ἐπιγράμμασιν Σκυλοφόρος — iam prius Crinagorae distichon laudat — hoc epitheton invenitur nisi in duobus epigrammatis, quorum Crinagoras (ep. 11) alterum, alterum Antipater Thess. (A P IX 428) composuit, en igitur epigrammatistae historico aequales. In Crinagoreo carmine sic

Ἑσπερίου Μάρκελλος ἀνερχόμενος πολέμοιο
Σκυλοφόρος κραναῆς τέλσα παρ' Ἰταλίης,

in altero

Σοί με, Θρηϊκίης Σκυληφόρε, Θεσσαλονίκη
μήτηρ ἡ πάσης πέμψε Μακηδονίης.

Illud, ut supra (p. 11) exposuimus, ad Marcellum pertinet, qui ex bello Cantabrico (a. 729), hoc ad Pisonem, qui ex bello Bessico (a. 743, p. 53) feliciter confecto victor revertit. Uterque igitur imperator cum Jove Feretrio[1]) comparatur, neque hoc in Augusti filio adoptivo reprehendemus illorum temporum morum ratione habita (sic Tiberius ab Apollonida Ζεὺς ἐσσόμενος A P IX 287, Augustus Ζηνὸς τέκος ab Antipatro Thess. IX 297, ab Crinagora δαίμων ep. 45, μείων οὐδ' ὅσον Αἰγιόχου ep. 26 appellatur). Indigna autem ea significatio in altero

---

[1]) Quod facilius certe adducetur ut credat, qui meminerit ab Horatio (c. III 14) Augustum ex eodem bello reducem cum Hercule Victore comparari, cf. Buechelerum Ind. Schol. 1878/9.

imitatoris epigrammate est, quo Antipater poema epicum Pisoni missum hunc ipsum facit alloquens. Cum Dionysius Hal. carminibus illis iam pervulgatis annotationem suam condiderit, cum ipsum Romae ceteris Graecis rhetoribus et grammaticis (v. p. 13) familiariter usum esse verisimillimum sit, nihil obstat, quominus verba ὡς ἀξιοῦσίν τινες etiam ad Crinagoram et Antipatrum referamus. Id vero dubitari nequit, quin Antipater hac quoque in re Crinagorae imitator fuerit et utrobique nullus alius intellectus verbo subici possit nisi *Feretrius*. Equidem non video, quomodo qui aliter interpretantur — et omnes editores in eis numerandi sunt — „σκυληφόρος Θρηΐκίης“ accippi voluerint.[1])

Ultimo loco commemoramus non certum, sed veri simile imitationis vestigium: Crinagoras dicit ep. 25, 1

Μὴ εἴπῃς θάνατον βιοτῆς ὅρον· εἰσὶ καμοῦσιν
ὡς φωοῖς ἀρχαὶ συμφορέων ἕτεραι.

Antipater ep. 112, 3

τοῦτο γὰρ ἀνθρώποις βιοτῆς ὅρος· ἡ δ' ἐπὶ τούτοις Νέστορι.

In Crinagoreo βιοτῆς Planudi acceptum referimus, cuius lectio ex hac sive imitatione sive similitudine confirmatur.[2]) Item Planudis traditioni vis et momentum ex imitatione, quam supra iam indicavimus (p. 54), accrescit in auctoris nomine epigrammatis IX 101, quod ille Antipatro tribuit, non Alpheo. Hic unum addam facillime, cum antecedat eiusdem Alphei carmen, talem errorem in textum irruere potuisse. — Horum autem omnium epigrammatum si rationem habebimus, non incredibile videbitur Antipatrum etiam ep. 16 imitando effinxisse ex Crinagoreo 17.

Iam reliquum est, ut in duorum quae adhuc tractavimus epigrammatum subditivorum consortium duo adiciamus carmina et duo versus supposita. De quo primo disserere paucis in animo est,

---

[1]) Accedit, quod huic interpretationi maxime favet v. 5 *ἀλλά μοι ὡς θεὸς ἔσσο κατήκοος, ε ὐ χ ο μ έ ν ο υ δὲ κλῦθι.*

[2]) Cf. supra p. 51. — Affere possum etiam 14, 5 et Ant. VII 286, 2; 41, 3 et Ant. IX 428, 3; 44, 1 et Ant. VII 640, 1: v. notas.

ep. 37

quod cum antecedente Philippi parvum efficit ordinem alphabeticum, Planudes non Crinagorae inscripsit, sed Antiphilo. Etsi saepissime Planudes in auctoris nomine describendo erravit et temere mutavit vel sine causa notam ἄδηλον carmini praefixit (sicut ep. 14, quamquam Crinagoras ipse se commemorat), tamen an in hoc epigrammate eius auctoritas non abicienda sit, quam maxime dubito. Nam scriba C, cuius fides item in nominum traditione levidensis est, in rasura demum Crinagorae epigramma dedit, quod primus Stadtmuellerus dispexit, quamquam quid antea scriptum esset, enucleare non poterat. Sane si argumentum respicimus — nam de metro admodum *suspecto* et auctorem clare indicante disputavi iam p. 32 — a Crinagora alienum esse carmen probis indiciis demonstrari nequit, nisi quod Mytilenaeus poeta alioquin locos communes ut ita dicam, tractare gravatus est (cf. p. 1), sed βεβιωμένα — Duebneri apta est significatio — plerumque epigrammatis refert. Contra ab Antiphilo non abhorret tale argumentum, cuius id quoque proprium videtur esse quas semel invenit dictiones saepius usurpare[1]). Itaque non labemur opinione, si quod nonnulla huius carminis verba exquisitiora eadem aut similia in Antiphili epigrammatis legantur, hac re illam sententiam stabiliri dicemus. Sic ἀγλώσσῳ στόματι A P VII 641, 2; ἀεὶ δέ σε πᾶς τις ἀθρήσας ταρβήσει μεγάλης μνησάμενος παλάμης A P VI 97, 5. Commemorari praeterea potest ep. IX 222, 3 τί δὲ πλέον, quae Schaeferi coniectura (τὸ traditur) sic confirmatur, atque verbum κέλυφος in hoc carmine de oculorum foramine, in ep. IX 242, 7 de cymba usurpatum. Maxime vero Antiphili memoriam mihi attulit v. 3 ἀτυμβεύτου θανάτοιο, quibus verbis contraria est dictio nihilo minus eandem referens farinam ληφθεὶς (mus ostrea captus) αὐτοφόνον τύμβον ἐπεσπάσατο (IX 86, 6).

Cui epigrammati continuo adnectam duos eos trimetros, quos supra significavimus. Exstant in epigrammate 29, quo

---

[1]) Cf. Menc. pp. 52 et 16: „omnia fere Antiphili epigrammata idem recens ingenium eandemque artis naturam spirant."

lyricorum codex Antoniae natalem (?) agenti diem dono mittitur (cf. p. 12)

'Αναχρείοντος, ἃς ὁ Τήϊος ὁ ἡδὺς πρέσβυς
ἔγραψεν ἢ παρ' οἶνον ἢ σὺν Ἱμέροις.

De eis fuse et argute iam disseruit Geistius (p. 26 sqq.), ut nihil fere, quod adiciam, relinquatur. Iambici versus distichis intexti non uno hoc loco leguntur, iam Simonides simili modo epigramma finxit, quod legitur A P XIII 14[1]). Omnino diversorum metrorum epigrammata non rara sunt (cf. caput XIII, A P VII 663, 664, 728, IX 436, Kaibelii ind. p. 701), ut tamen iure dubitetur, num hic mos etiam Augusti aetate viguerit. At ut hoc largiamur, huius carminis trimetri ineptissime compositi sunt et sententiae tenorem ceteroquin perspicuum foede corrumpunt. Nam Χάριτας sic Anacreon scripsisset aut ad vinum aut σὺν Ἱμέροις. Numeri vero tam misere titubant, ut vv. dd. „se macerantes in reddendo verbis metro" (Reiskius) tamen concinnos versus restituere non potuerint. Miserabile scholium novi Graeculi a Reiskio iure vocantur, cuius centones ex locis communibus de Anacreonte A P VII 23—33 corrasi sunt. Non modo vilissimi pretii, sed etiam quam inscitissime hi trimetri consarti sunt ab homine, qui interpolatricem suam operam ne dissimulare quidem conatus est; quod intelligere mihi videor ex nominis forma, quam non iambico, sed dactylico epigrammatis compilati rhythmo accommodatam esse sciolus ille plane neglexit. Etiam alterum interpolatorem carmen expertus est, *Michaelem* dico Maximum, qui — hoc novae collationi debetur — addidit verba σὺν ἱμέροις, quae nescio unde compilata virum certe produnt metricae artis non tam rudem, quam prior fuerat interpolator. Recte eum iambicos hos esse versus perspexisse apparet ex additamento, quod C adscripsit, ἰαμβικόν. — Iam pannis istis abiectis duo disticha restant Crinagora non indigna, quae in codicis lyricorum fortasse Alexandrinorum (cf. ep. 41) fronte scripta legebantur, ut Antipatri Thess. versus IX 186 codici Aristophanis comoediarum inscripti erant (v. etiam epp. VII

[1]) Alter pentameter intercidit.

713 et IX 190). Num satis idonea causa cum his epigrammatis comparaverit Heckerus (I. p. 189) epp. IX 184 et 571 in novem lyricos valde dubito, cum probabile non sit ea item codicibus adaptata esse.

Adstrictius etiam de ep. 50 disputare licet, quod abiudicandum esse Crinagorae Geistius suspicatus est firmissimis causis usus. Metri *iambici*, quo alterum quoq uecarmen suppositum indui memorabile certe est, licentiae plurimae (elisiones, aphaereses) et nativa loquendi facilitas ab austero et difficili poetae Mytilenaei ingenio, ab tarda eius et dura dictione plane abhorrent. In eodem argumento permulti luserunt poetae, proxime autem ad Maecii ep. A Pl. IV 198 similitudinem accedit hoc Pseudocrinagoreum, cuius auctor num reapse illud iambis expresserit, diudicare non ausim.

PARS II.

EPIGRAMMATA.

Index siglorum.[1]

P = codex Palatinus.

XI saec. { A = „m.[1] quae primam Anthologiae partem scripsit“ (p. 1 — p. 452 = A P I — IX 563).
B = „m.[2] quae p. 453 — p. 642 exaravit“.

XII saec., sed C paulo inferior aetate { L = lemmatista.
C = corrector.

$A^{me}(^{mi})$ = „A in margine exteriore (interiore) scripsit.“

$A^{ar,c}$ = „A scripsit ante rasuram, ante correcturam (ab ipso, ab alio) factam.“

Pl. = Planudes.

Editores et interpretes sic notavi:

R = Reiskius. v. p. 1.

Br. = Anth. Gr. ex rec. Brunckii. Lps. 1794. Crinagorae epp. leguntur in t. II p. 127 — p. 140.

Jac. = Anth. Gr. ed. Jacobs. Lps. 1813—17.

Jac. an. = eiusdem Animadversiones (v. p. 1.)

Jac. del. = Delectus epp. Graecorum. ed. Jac. Gothae et Erfordiae 1826

G = Geistii editio (v. p. 1.).

H = Heckeri comment. crit.

D = Anth. Pal. ed. Duebner. Parisiis 1864—72.

---

p. c. = per compendium [ ] = in rasura scriptum.

* = signum depravationis in codice.

---

[1]) Codicis Palatini sec. Stadtmuellerum, cuius „verba ipsa“ cum adhibebo, semper indicabo.

Praefationis loco nonulla praeludenda sunt. Quaestionibus de Crinagorae vita atque epigrammatis institutis haec ipsa critico apparatu instructa tribus potissimum de causis annectere animum induxi. Primum carminibus in unum compositis priorem huius opusculi partem commodius legi et examinari posse arbitrabar; tum temporum decursu haud parvus mihi subortus erat animadversionum numerus, quas epigrammatis non additis aegre lectorum censurae subicere possum. Tertia autem eaque gravissima causa erat, quod fortuna benigne adspirante novum ad textum recensendum et explicandum subsidium adhibere mihi licuit. Abhinc enim tres fere menses Zangemeisterum, virum doctissimum, bibliothecae Palatinae praefectum, per litteras adii, ut copiam mihi faceret Anthologiae codicis inspiciendi. Petenti non deerat vir humanissimus, sed rescripsit necesse non esse me ipsum codicem conferre, cum Stadtmuellerus, v. d., futurus Anthologiae editor, in meam gratiam Crinagorae epigrammata conferre vellet. Quam conditionem postquam laeto et grato animo accepi, iam brevi ipsa collatio mihi missa est a viro illo doctissimo; cui liceat mihi et hoc loco gratias agere candidissimas pro hac tanta liberalitate et benignitate in tironem collata ei plane ignotum. Quid eius humanitati debeam, paene pudet me profiteri; vix ullum est epigramma, ad quod recognoscendum non fructus aliquis illinc redundarit, ita ut, si quid forte hic illic nostro opusculo ad egigrammata verius legenda et explicanda rectius praestitum sit, hoc non tam meae, quam illius viri doctissimi operae acceptum referatur. Maxime autem novae collationis praestantia auctorisque assiduitas cernitur in diversorum scribarum ductibus accurate semper discretis, in rasuris detectis, primitivis scripturis erutis. Meum igitur erat hanc tam largam messem colligere et recensere et via ac ratione ad carmina perpurganda adhibere. Quod consilium numquam

non insistebam, sed ipse haud ignoro tironis vires et Graecae linguae peritiam negotio suscepto saepe pares non fuisse.

Id quoque ex Stadtmuelleri libello lucratus sum, quod quae inter singulos Anthologiae Palatinae librarios ratio intercederet, clarius iam agnoscerem. Atque hac de re quae in his epigrammatis recensendis expertus sim, paucis complecti operae pretium sit. Finslerus*) probe demonstravit falsissimum esse Paulsseni de correctore iudicium: non „perditissimus interpolator textum pessumdedit", sed librarius diligentissimus, si quisquam alius, operosum textus corrigendi munus suscepit egregio Michaëlis Maximi exemplari usus. Namque negligentissime codicem primus librarius exaravit (alterius ratio hic ducatur non oportet): in signis et singulis litteris permutatis verbisque falso coniunctis vel separatis, multis denique aut omissis aut falso positis mirum quantum iste erraverat. Quae menda corrector streruo labore plerumque sustulit correctionibus aut rasuris. Neque vero aequabilem operam omnibus epigrammatis navabat neque semper utilem. In undecim enim sexti capitis carminibus cum *septuagies* fere accentus atque spiritus corrigeret et suppleret, in undecim, quae septimi capitis sunt, undetricies, in viginti uno noni capitis *quindecies* tantummodo suo munere functus est; quod etiamsi largiamur in his capitibus librarium paulo curiosius exemplum suum descripsisse, maxime mirum est, nam e. g. in uno ep. 20 decies, in ep. 29 septies vitia corrigere potuit eiusmodi. Hoc primum velim attendatur.

Iam si graviores correctiones spectabimus, facile apparebit omnes eis locis factas esse, quibus librarius non consilio, sed negligentia aut ipsius aut superiorum scribarum praeposteram lectionem exararat. Plerumque etiam nos hunc scribam corrigere possumus, tres aut summum quattuor locos inveni (epp. 24, 3; 16, 4; 17, 3; 33, 2 [?]), quos correctoris lectionibus non suppeditatis non possemus fortasse ipsi sanare. — Contra perverse C (Mich.), ut accentus et spiritus mittam, septies poetae versus correxit, semel trunco versui addi-

*) Krit. Untersuch. zur Gesch. d. gr. Anth. Turici 1876.

tamentum excudit (ep. 29, 4), bis in auctoris nomine erravit (epp. 37 et 24); ex his locis tres eis adscribo, ubi „lacerum et perrosum codicis exemplar“ — sic Polakius Mnem. vol. V n. s. p. 323 — fuisse videtur; ibi igitur lectionem mutilatam Michaelis explevit suo Marte eo studio ductus, quod maxime in signis ponendis comparet, codicis scripturas quam expeditissimas reddendi, cum librarius non tam lectorum commodis prospicere quam suum exemplar, quamvis corruptum esset, repraesentare fideliter in animo haberet. Tribus denique locis accentus in eis vocibus supplevit C, quas librarius signis omissis corruptas significare voluisse videtur. — Haec omnia disputavi, non ut honestissimi illius correctoris meritis obtrectarem aut quidquam de summae diligentiae laude, quam ei iure impertiunt, detraherem, sed ne nimium ei, ut assolet, pretium tribueretur. — De Planude addo eum eodem illo corrigendi studio epigrammatis perniciosissimo ad pravas non raro coniecturas seductum esse, sed nihilominus optimae notae haud paucas numero lectiones ei deberi, quas ex Cephalae Anthologiae apographo hausisse videtur.*)

Haec habui quae de scribarum ratione, qualis ex parte codicis apparebat, praemitterem. Quae quatenus in universum Anthologiae librum cadant, is diiudicabit, cuius ex scriptione haec omnia hausta sunt.

Verum praefandi finem facere fas non est, priusquam grato animo memoravi insignia cum de universo opusculo tum de editione hac merita viri doctissimi adque liberalissimi, cuius nomen libello praefigere mihi licuit.

Scr. a. d. V. Id. Jun. LXXXVII.

*) Id colligo cum ex aliis indiciis tum ex evanidis illis codicis lectionibus, quas etiam Pl. in exemplari suo offenderat, cf. A P VII 247, 1; 567, 5; 628, 4; 645, 4; 660, 3; IX 280, 8; 439, 5.

I

Δειλαίη, τί σε πρῶτον ἔπος, τί δὲ δεύτατον εἴπω;
δειλαίη· τοῦτ' ἐν παντὶ κακῷ ἔτυμον.
οἴχεαι, ὦ χαρίεσσα γύναι, καὶ ἐς εἴδεος ὥρην
ἄκρα καὶ εἰς ψυχῆς ἦθος ἐνεικαμένη.
Πρώτη σοὶ ὄνομ' ἔσκεν ἐτήτυμον· ἦν γὰρ ἅπαντα
δεύτερ' ἀμιμήτων τῶν ἐπὶ σοὶ χαρίτων.

II

Κῆν ῥίψῃς ἐπὶ λαιὰ καὶ ἢν ἐπὶ δεξιὰ ῥίψῃς,
Κριναγόρη, κενεοῦ σαυτὸν ὕπερθε λέχευς,
εἰ μή σοι χαρίεσσα παρακλίνοιτο Γέμελλα,
γνώσῃ κοιμηθεὶς οὐχ ὕπνον, ἀλλὰ κόπον.

I *Κριναγόρου* Am^{e} *Εἰς κόρη(ν) καλουμένην Πρώτην* L m^{e} v. pp. 6 et 36 *Πρώταν* quandam mortuam in inscriptionibus Mytilenaeis (Ath. Mitt. 1888) Augusteae aetatis apparere me monet Cichorius.

1 Cf. Hom. *ι* 14 et *ψ* 342 *δε* P („accentus erasus supra *ε*“) 3 *οἴχεται* A^{ar} *γύναι*, ut Sternbachius (Meletemata Graeca p. 92**) iam animadvertit, in eraso *ν υ μ φ η* scriptum atque m^{i} iteratum est, „quoniam vox in rasura librario parum dilucide scripta videbatur“ 4 *ἄκρα* P: *τἄκρα* Jac. del. p. 147 D, sed cf. ep. 29, 4, A P VI 118, 6 Antipatri (Sid., v. Kaibelius Hermae vol. XVII p. 423), Theocr. id. 12, 31 alia *ἐνεικαμένη* correxi p. 27: *ἐνεγκαμένη* P 5 ad nominis lusum cf. epp. 18, 19; Kaib. 63, 435, 502, 621, 640 alia, ind. p. 687 *σοι* P: *σοί γ'* Herm. Orph. p. 741 Jac., cf. p. 39 6 *ἀμιμήτων — χαρ.*] v. ep. 29, 2 *τῶν ἐπὶ σοὶ* (i. e. *τῶν σῶν*) P: *ἐνὶ* pro *ἐπὶ* proposuit Polakius (Mnem. n. s. vol. V p. 435), idem aliis locis; at cf. exempla a Sternbachio p. 92 ad A P IX 103, 6 allata, Crin. 5, 6, ind. s. v. *ἐπί*.

II *Κριναγόρου* Am^{e} *Εἰς τὴν αὐτοῦ* (p. c.)[1] *ἐρωμένην Γέμελλαν* L.

1. 2 Propertii (III 17, 4) *fractus utroque toro,* Hom. *Ω* 4 sqq., Ovid. Am. I 2 init. apte confert Jac. an. *λαιᾶι* A^{ar} 2 *λέχευς* correxi p. 27: *λέχους* P 3 *Γέμιλλα* Pl.; ex hoc nomine G efficit Romae pactum esse epigr. 4 verte *nosces te compositum esse* (non *dormire* ut in D) *non ad somnum, sed ad lassitudinem;* cf. Hom. *Λ* 241 *κοι-*

[1]) Scripturam compendiosam eis locis indicamus, ubi neglecta est ab edd.

III

Λαμπάδα, τὴν κούροις ἱερὴν ἔριν, ὠκὺς ἐνείκας,
οἷα Προμηθείης μνῆμα πυροκλοπίης,
νίκης κλεινὸν ἄεθλον (ἔτ') ἐκ χερὸς ἔμπυρον Ἑρμῇ
θῆκ' ἐν ὁμωνυμίῃ παῖς πατρὸς Ἀντιφάνης.

IV

Ἀργύρεόν σοι τόνδε γενέθλιον ἐς τεὸν ἦμαρ,
Πρόκλε, νεόσμηκτον †δουρατίην κάλαμον,
εὖ μὲν ἐυσχίστοισι διάγλυπτον κεράεσσιν,
εὖ δὲ ταχυνομένην εὔροον εἰς σελίδα,
πέμπει Κριναγόρης ὀλίγην δόσιν, ἀλλ' ἀπὸ θυμοῦ
πλείονος, ἀρτιδαεῖ σύμπνοον εὐμαθίῃ.

μήσατο χάλκεον ὕπνον, A P VII 219, 4 (Pompei) *ἐκοιμήθη δ' ὕπνον ὀφει — λόμενον*, VII 78, 2 (Dionysii) *εὐνήθης δ' ὕπνον ὀφειλόμενον* alia; *κινηθεὶς* propter *κόπον* susp. St. de structura v. ind. s. v. *εἰ* et notam ad 34, 2; non commode Jac. del. p. 146 admovit A P V 214, 4 et 215, 5.

III *Κριναγόρου* A[me] *Ἀνάθημα τῷ Ἑρμῇ* (alterum *ι* om., alterum C add.) *παρὰ Ἀντιφάνους* A in textu cf. Kaib. 943, 943a p. XX, C J Gr. 243.

1 *λαμπάδ[α]* P („[α] C in eraso *ι*, *λαμπάδι* A[ar]") *ἔριν*] v. ad 24, 1; cf. VII 705, 5 *ὠκὺς ἐνείκας* scripsi p. 27: *ὠκυσεν αγκάς* A, unde *ὠκὺς ἐν αγκὰς* C fecit: *ὠ. ἐνέγκας* R Jac. D: *ὠ. ἐνεγκών* H *πυριχλοπίης* A: *ο* C[s] (*πυρι* A fort. tanquam dativum inculcaturus) 3 *ἄεθλον*, edd. *ἔτ'* R ex apographo suo interposuit: om. P *χειρὸς* (non *χερὸς*) P, unde quomodo particula omitti potuerit, clarius intellegitur *ἔτ' ἔμπυρον ἐκ χερὸς* perverse G 4 *θῆκ' ἐν* Boiss., quod defendimus p. 30 sq. (cf. A P VII 626, 6): *θῆκεν* P et edd. *ὁμωνυμίῃ* P: *ὁμωνύμιος* Jac: *ὁμωνυμίου* H; cf. *ἣν* (sc. *τέχνην*) *πατρὸς ἐκ φιλίης αὔσαθ' ὁμωνυμίης* Bull. de C. H. 1887 p. 75.

IV *Κριναγόρου Μυτιληναίου* (cf. p. 3) A m[e] v. pp. 6 et 12 Suidas vv. 1 et 6 s. v. *ἀρτιδαεῖ* sic exhibet conflatos: *Ἀργύρεόν σοι τόνδε γενέθλιον εἰς τεὸν ἦμαρ πέμπω ἀρτιδαεῖ σύμπνοον ἐργασίῃ.*

1 *ἀργύρεον* P: *ἀργύφεον* Ludwich ZfdöG. 1878 p. 485 (at idem *ἀργύρεον* quoque declarare posse docemur Alcm. 23, 55 Ibyci 16, 5). nihil vero obstat, quominus tum temporis argenteos calamos fuisse dicamus; aerei certe calami non raro reperti sunt, cf. Marquardt (Mau) *Privatl. d. Röm.* p. 823; Gardthausen *Palaeogr.* p. 72; ridicula paene interpretatione adi. ad *ἦμαρ* referunt coll. VI 329 R et Br. 2 *νεόσμηκτον*] huc S. respexisse, cum exponeret *νεόθηκτον*, vix credi-

V

Αἰετοῦ ἀγκυλόχειλος ἀκρόπτερον ὀξὺ σιδήρῳ
 γλυφθὲν καὶ βαπτῇ πορφύρεον κυάνῳ,
ἤν τι λάθῃ μίμνον μεταδόρπιον ἐντὸς ὀδόντων,
 κινῆσαι πρηεῖ κέντρῳ ἐπιστάμενον,
βαιὸν ἀπ' οὐκ ὀλίγης πέμπει φρενός, οἷα δὲ δαιτός,
 δῶρον ὁ πᾶς ἐπὶ σοί, Λεύκιε, Κριναγόρης.

deris Brunckio *δουρατίην* P (acutum C, *δουρατιὴν* A^{ar}): *δουράτεον* Br.: *δουρατίου* Bothius; *δικρατίην* quod esset i. q. *δίκραιρον, δίκραιον* G *νεοσμήκτῳ δούρατι σὺν κάλαμον* „h. e. calamum argenteum mittit, qui hastae ligneae levigatae infixus est“ Dielsius; de anastrophe cf. ind. s. v. *ἐπί;* equidem praetulerim *νεοσμήκτῳ δούρατι ἐν* 3 *διάγλυπτον*] potius in calamum metallicum cadere videtur *κεράεσσιν*] Gardth. l. l. p. 71 4 *qui deproperandae paginae facilem atramenti fluxum suggerit* recte interpretatur R *εἰς*] *εἰς* et *ἐς* promiscue ante consonantes ponit Cr. 5. 6 *ἀλλ' ἀπὸ ϑ. πλ.*] cf. p. 25 *ἀρτιδαεῖ* S: *ἀρτιδαῇ* P.

V *Κριναγόρου* (non *Κριναγοροῦ*) A m^{e}. „Signum *λ*“ (quod *σλ'* esse debet) „a C appictum“, qui omnino inde a l. V, ut primus Sternb. p. 14 notavit, epigrammatum decades significavit de Lucio v. p. 45.

1 *ἀγκυλόχειλος* P: *ἀγκυλοχείλου* Salm. G D, quo iure (in docto praesertim poeta, qualis est Crinagoras) dubitare licet *ἀκρόπτερον ὀξύ,* Jac.: rectius vel propter caes. buc. versum distinxit G 2 *βαπτῇ* P: *βαπτῷ* Dind. in St. Th., sed masculini generis fuisse *κύανος,* de colore si adhibeatur (*β.* verte *tincto*, cf. Platon. legg. p. 847 C *βαπτὸν χρῶμα* et ep. 12, 5), ex Paus. V 11, 2 demonstrari nequit G expressum credit Meleagri *πορφυρέην κύανον* A P IV 1, 40 3 *μεταδόρπιον* (etiam *α* accentu C ex more instruxit) v. ind. *ἐγγὺς* P: corr. H D 5. 6 *βαιὸν* praepostere cum superioribus coniugat D; referendum est ad *δῶρον*, cf. ep. 4 clausulam cetera sic traduntur in P: *,ἀπ' οὐκ ὀλίγης* („virgulam ad dirimenda vocabula“ et signa maximam partem C posuit) *πέμπει φρενὸς* (*φρένας* A^{ar}) *οἷα δε*δαπὸς* („signum corruptelae recurrit in m^{e}“) *δῶρον ὅπασσ'* ('C) *ἐπὶ σοί Λ., Κρ.* in priore corruptela quid lateat, recte in ap. Lips. margine indicatur; non sine lepore quodam dentiscalpium *δαιτὸς δῶρον* nominatur, „qualia amici amicis mittere solent“ Jac. add. p. XLIV. insequentia verba varie temptata sunt a vv. dd.: Jac. *ὄπασσέ τι σοί* (alteram eiusdem coniecturam et aliorum multas sciens omitto), *δῶρ' ἂν ὀπάσσοι σοί* R: quae ideo potissimum displicent, quod *ὄπασσε* post *πέμπει* illatum plane supervacaneum videtur et *σοί* iusto magis amplificatur. posui, quod H olim proposuerat *ὁ πᾶς ἐπὶ σοί* i. e. latinum *totus tuus,* cf. *τὸν σὸν ἀπὸ κραδίης* A P VI 250, 2 et *ἐπί τιν*

VI[+]

Βότρυες οἰνοπέπαντοι, ἐυσχίστοιό τε ῥοιῆς
θρύμματα, καὶ ξανθοὶ μύελοι ἐκ στροβίλων,
καὶ δειλαὶ δάκνεσθαι ἀμυγδάλαι, ἥ τε μελισσῶν
ἀμβροσίη, πυκναί τ' ἰτρινέαι ποπάδες,
καὶ πότιμοι γέλγιθες, ἰδ' +ύελακυχάδες ὄγχναι,
δαφιλῆ οἰνοπόταις γαστρὸς ἐπεισόδια ·
πάντα φιλοσκήπωνι καὶ εὐστόρθυγγι Πριάπῳ
ἀντίθεται λιτὴν δαῖτα Φιλοξενίδης.

εἶναι; de praepositionis usu v. ad. 1, 6. iam *σοὶ* suum tenet locum. H ipse postea fastidiose fetum suum repudiavit, fortasse quod simul assumpserat Reiskii coniecturam *οἷα δὲ* (*τε H*) *λιτὸς* et ignorabat cetera „latinismi“ vestigia, v. p. 25. contrarium errorem feliciter correxit idem v. d. VII 626, 6 *ἔθηκ' ἐν ὀπαῖς* scribens pro *ἔθηκεν ὁ παῖς.*

VI [*Κριν*]*αγόρου A* m[e] (v. add. ad p. 48) *Ἀνάθημα Φιλοξενίδου* (p. c.) *τῷ Πανί* C m[e] v. p. 45 sqq. Suidas s. v. *γέλγιθες* vv. 5 et 6, *οἰνοπέπαντοι* v. 1, *στρόβιλος* v. 2, *ἀμυγδαλῆ* v. 3, *ποπάδες* v. 4, *ἐπεισόδιον* v. 6 (praemissis his verbis: *γέλγιθες καὶ ὄχναι καὶ ῥοιαὶ καὶ σταφυλαὶ*) maiore ex parte truncatos suggerit.

1 *βότρυες οἰνοπέπαντοι*] cf. eiusdem Philippi IX 561, 5 *τοὺς ἀπεπάντους βότρυας* *ἐ*[*ϋ*] *σχίστοιο* P („[*ϋ*] C in rasura, *ἐϋ*(*σ* ?)*ΐσχίστοιο A*[ar]“) 3 *δειλαὶ δάκνεσθαι* (*δακνεσθε* S.)] cf. Horatii *penna metuente solvi.* sic amygdalae propter durum corticem fractu difficiles dicuntur; de articuli ellipsi Jac. ad XI 125, 5 de particulis v. ad 42, 5 et supra p. 25 4 *ἰ*τρινέαι* P („signum corruptelae bis ad hunc versum m[e] appictum a C“) 5 *γέλγη*θες* P („*η* C fecit ex *ι*, signum depravationis m[e] repetitum“, prorsus igitur infida Paulssenus rettulit, cum *γελγηθες* notavit in margine positum esse. eodem errore in Hesychii glossa *γελγηθεύειν* exaratum est) *ὑελαχυχάδες* P („accentum aut fecit aut refecit C“). illud si statuitur, depravationem, quam accentu omisso (cf. Sternb. p. 4) A significaturus erat, C dissimulabat. etenim corruptum esse verbum nemo negabit, et iam S. perspexit, cum bis versum citans (in verbis *γέλγιθες* et *ἐπεισόδιον*) id neutrubi posuit. ut missas faciam Reiskii, Emperii, Jabobsii, Geistii coniecturas non amplectendas, probabilis certe est Heckeri lectio *ὑελοκικκάδες pira quorum cicci vitri splendorem reddunt,* coll. A P V 36, 7; 48, 1 7 *πάντα* Dielsius, cf. p. 47: *Πανὶ* P *Φιλοσκ*[*ΐ*]*πωνι* P ([*ΐ*] C in eraso *η*, iterum erravit Michaelis, quod fugit Paulss.): *φιλοπρηῶνι* H *Πριάπῳ*] si Crinagorae carmen esset, cum Brunckio et edd. *Πριήπῳ* scriberem.

VII

Ηοῖ ἐπ' εὐκταίῃ τάδε ῥέζομεν ἱρὰ τελείῳ
Ζηνὶ καὶ ὠδίνων μειλίχῳ Ἀρτέμιδι.
τοῖσι γὰρ οὑμὸς ὅμαιμος ἔτ' ἄχνοος εὔξατο θήσειν
τὸ πρῶτον γενύων ἠϊθέοισιν ἔαρ.
δαίμονες ἀλλὰ δέχεσθε καὶ αὐτίκα τῶνδ' ἀπ' ἰούλων
Εὐκλείδην πολιῆς ἄχρις ἄγοιτε τριχός.

VIII

Ηρη, Ἐληθυιῶν μήτηρ, Ἥρη τε τελείη,
καὶ Ζεῦ, γινομένοις ξυνὸς ἅπασι πάτερ,
ὠδῖνας νεύσαιτ' Ἀντωνίῃ ἵλαοι ἐλθεῖν .
πρηείας μαλακαῖς χερσὶ σὺν Ἠπιόνης,
ὄφρα κε γηθήσειε πόσις μήτηρ θ' ἑκυρή τε.
ἡ νηδὺς οἴκων αἷμα φέρει μεγάλων.

VII *Κριναγόρου* A m[e] v. pp. 12[1] et 55 sq.
1 *ἦοι επευκταίη* scripserat A 3 *θήσειν:* „*ν* corr. ex *σ*" 5. 6 de Sabini VI 158, 3 dixi p. 55[6]; cf. Ant. Thess. IX 93, 3 *δέχεσθε* St. (v. ad 9, 7): *δέχοισθε* P in insequentibus haec inest sententia *et deinceps eum ut ad aetatem virilem perduxistis, ita ab hac usque ad senectutem perducite;* neque igitur epitheton addi oportebat *αὐτίκα* P: *αὖτις* ex Ant. Thess. VI 198, 6 H: *αἴσια* coll. VI 278, 4 Jac. add. p. XLV (iniuria uterque, cum non modo apud Crinagoram [epp. 26, 5 et 32, 3], sed apud poetas quoque Alexandrinos *αὐτίκα* aequet latinum *deinceps, postea*, cf. Call. A P V 23, 6, Arati vv. 540, 750, 840 alios) *εὔκλεινον* vel *εὐκλειᾶ* pro *Εὐκλείδην* proponit G, qui ad coniectandum non modo illo epitheti desiderio, sed etiam eo commotus est, quod non nisi Romanorum nobilissimorum morem fuisse opinatur, ut festum diem primae barbae cadentis celebrarent; quamobrem epigr. in Antoniae, Marcelli (ep. 11) sororis, gratiam concinnatum esse suspicatur. haec omnia vana et futtilia. cf. Ant. Thess. ep. supra laudatum de Lycone et H p. 136.

VIII *Κριναγόρου* A m[e] v. p. 13.
1 *εἰλ[ει]θυιῶν* P (*supra *λ*, signum m[e] recurrit; „[*ει*] C fecit ex *η*, *εἰληθυιῶν* A[ac]"): *Ἐληθυιῶν* Br.: *Ἐλειθυιῶν* Dorv. et edd. Ilithyarum nominis forma tritissima est Homerica *Εἰλείθυια*, praeterque hanc non raro exstat in codd. certe *Εἰλήθυια;* utraque etiam prima syllaba correpta legitur: formae *Ἐλείθυιαι* duo praebet exempla Call. h. 4, 257 et h. 6, 131, cf. C J A III 1320; contra alterius formae quod suppeditari

IX

Σπήλυγγες Νυμφῶν εὐπίδακες αἱ τόσον ὕδωρ
εἴβουσαι σκολιοῦ τοῦδε κατὰ πρεόνος,
Πανός τ' ἠχήεσσα πιτυστέπτοιο καλιή,
τὴν ὑπὸ βησσαίης ποσσὶ λέλογχε πέτρης,
ἱερά τ' ἀγρευταῖσι γερανδρύου ἀρκεύθοιο
πρέμνα, λιθηλογέες θ' Ἑρμέω ἱδρύσιες,
αὐταί θ' ἱλήκοιτε καὶ εὐθήροιο δέχεσθε
Σωσάνδρου ταχινῆς σκῦλ' ἐλαφοσσοΐης.

codice videtur exemplum alterum in Ant. Thess. ep. IX 238, 6 *Ἐληθυίης* (cod. *εἰλ.*), a vv. dd. mutatum est non secus atque integrae formae *Εἰλήθυια* exempla plurima: VI 146, 1, iterum legitur post 274; 200, 1; 270, 2; 274, 3; VII 566, 1; his omnibus locis praeter primum et ultimum C *ει* exhibet, cum A in exemplari invenerit ubique *η*. *Εἰλήθυια* traditur praeterea Call. h. 4, 132; Strab. V p. 226; Paus. II 22, 6; Luc. dial. deor. 8, 1; Isaei 5, 39; Steph. p. 261 (Mein.); Hesych. s. v. etiam Gregorius Cor. (p. 680 Schaef.) *Ἐλήθυια ἀντὶ τοῦ Εἰλήθυια* usurpatum esse dicit, quamquam cod. Darmst. pro *η* exhibet *ει*. cum Michaelis in eiusmodi rebus corrector fuerit ex suae aetatis consuetudine (v. p. 65), et Antipatro et Crinagorae formam *Ἐλήθυια* restituerim atque ceteris locis conservarim *Εἰλήθυια*   *μήτηρ* P p. c.; non opus est etiam in v. 2 nominativum cum R inserere   *τε* Dorv.: *δὲ* P

de metro dixi pp. 32 et 35   4 *ἠπιονίης* (C) A^{ar}, quod, ut ante iam *τελείει* (?) et v. 4 *πρηι(τ?)είας*, radendo C emendavit   5 de structura v. ind. *ἐκυρή* G, v. p. 27: *ἐκυρά* P   6 *ἦν ἡδὺς* (?) A^{ar} *οἴκ[ων]* P ([ων] C in rasura, quae quibus in litteris facta sit, non dispexit St.): *τοκέων* Graefius; eandem productionem idem transponendo declinabat IX 519, 2, similiter aliis locis. sed ambiguam esse terminationum *υς* *υν* apud poetas mensuram iure monuit Jac. ad XI 199, 1.

IX *Κριναγόρου* A m^{e} Suidas hinc verba *εἴβεσθαι* cum vv. 1 et 2; *σπήλυγγες* cum v. 1; *πρεών* et *πρῶνες* cum v. 2; *πίτυς* et *καλιά* cum v. 3   v. p. 6.

1 „*σπήλ[υ]γγες* P ([υ] A in eraso *ε*)"   *εὐπιδακες* P et Br., schema ssdd multo frequentius est quam sssd, cf. p. 32   „*αἱ τόσον* displicet; an scr. *ἀγλαὸν*, cf. Hom."; mire sane *τόσον* positum est

3 *τειχήεσσα* S. in *πίτυς*,   *πιτυο(σ?)στέπτοιο* A^{ar} 4 *βησσαίης* Jac. (cf. praef. p. LXIII, allegat Steph. Byz. s. v. *Βῆσσα*, cuius gentile geographus esse dicit *Βησσαῖος*): *κασσαίης* P (acc. C, qui rursus vitium signo addito celare voluisse videtur) et G (qui nomen ad rupem spectare, unde Casinus rivus proflueret, et pro *Κασσίνης πέτρης* a Graeco poeta adhibitum esse putat. insolita, ut alia taceam, haec

X

Χάλκεον ἀργυρέῳ με πανείκελον, Ἰσθμικὸν ἔργον,
ὄλπην ἡδίστου ξείνιον εἰς ἑτάρου,
ἦμαρ ἐπεὶ τόδε σεῖο γενέθλιον, υἱὲ Σίμωνος,
πέμπει γηθομένῃ σὺν φρενὶ Κριναγόρης.

XI

Ἑσπερίου Μάρκελλος ἀνερχόμενος πολέμοιο
Σκυλοφόρος κραναῆς τέλσα παρ' Ἰταλίης

terminatio esset, neque omnino n. pr. necessarium, immo abesse arbitror a carminis tenore): *Κρισσαίης* R: *Βασσαίης* H Schneiderus (Z f d A W 1845, 102) D *λέλογχε* P (non quod adhuc referebant *λίλογχε*) 6 *λιθηλογέες* Kusterus: *λιθολογέες* P *ἱδρύσιες*] cf. A Pl. IV 254 7 *αὐταί*] ad omnia, quae praecedunt, revoco, ad Nymphas Boiss., femininam formam ex proximo verbo pronomen mutuatum est; „fortasse scrib. *αἰεί θ'*" *δέχοισθε* A: *ε* C[s] litteris *οι*, imperativi et optativi coniunctio exquisitior erat, v. Jac. ad VII 391, 1 8 *ἐλαφοσσοΐης*] de littera *σ* duplicata cf. e. g. Homeri *λαοσσόος* et Quinti Sm. (5, 64) *βοοσσόοα κέντρα*.

X *Κριναγόρου* A m[e] totum ep. Suidas suppeditat in *ὄλπη*, tertium tamen versum duobus posterioribus verbis mutilatum v. p. 6 sq. 1 *Ἰσθμικὸν* G: [*ἴν*]*δικὸν* P („[*ἴν*] C. in eraso *ἰ*, *ἰδικὸν* A[ar]"). locus eis assignandus est, de quibus scripsit Polakius, cf. p. 65. C suo Marte litterarum ductus evanidos supplevit. huc accedit, quod, etsi Cunningham. cum de nummis Indicis ex stanno (Nickel, *λιθάργυρος* Athen. IX p. 451 e) percussis disserit (Num. Chron. vol. XIII 1875: Coins of Alexanders successors in the East, p. 187), ad eandem materiam etiam hanc ampullam non sine causa refert coll. Curt. IX 8 (30) *ferri candidi talenta centum,* tamen inde de Indorum in his artibus peritia aut de eorum operibus metallicis Romam importatis, quod utrumque nemo scriptor usquam commemorat, nihil concludi potest. contra cum Plin. n. h. 34, 3 Corinthii aeris tria genera laudet, de quibus unum *candidum argento nitore quam maxime accedens,* atque etiam schol. Theocr. (ad II 156 *Δωρίδα ὄλπαν*) *τὰ Κορίνθια χαλκώματα διαβεβοημένα* dicat, maxime probabile est quod G coniecit, confirmatum illud explorata nunc codicis lectione. Suidas cum simili atque C exemplari usus sit, item *Ἰνδικὸν* praebere mirum nemini videbitur. ex *νεκροκορινθίοις* (v. ad ep. 32) num *ὄλπη* fuerit, difficile est exquirere 2 notam, quam ad verbum *ὄλπην* (signo *instructum, ut id explicatione indigere indicaret) L appinxit m[e], v. apud Jac. *εἰς*] cf. notam ad 29,3 3 *σίμωνος* P (acc. C): *Λίβωνος* G St., v. p. 7.

XI Bis exstat in membranis: p. 169, A P VI 161 (in idem Meleagreae coronae fragm. [epp. 109—163] eodem errore Sabini ep. 158 delatum

ξανθὴν πρῶτον ἔκειρε γενειάδα · βούλετο πατρὶς
οὕτως, καὶ πέμψαι παῖδα καὶ ἄνδρα λαβεῖν.

XII

Εἴαρος ἤνθει μὲν τὸ πρὶν ῥόδα, νῦν δ' ἐνὶ μέσσῳ
χείματι πορφυρέας ἐσχάσαμεν κάλυκας,
σῇ ἐπὶ μειδήσαντα γενεθλίῃ ἄσμενα τῇδε
ἠοῖ νυμφιδίων ἀσσοτάτῃ λεχέων.
καλλίστης στεφθῆναι ἐπὶ κροτάφοισι γυναικὸς
λώϊον ἢ μίμνειν ἠρινὸν ἠέλιον.

XIII

Τυρσηνῆς κελάδημα διαπρύσιον σάλπιγγος
πολλάκι Πισαίων στρηνὲς ὑπὲρ πεδίων

